This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

BV
5095
.G7
A4
1857

B 451206 DUPL

# GERARDI MAGNI

EPISTOLAE XIV.

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

UNIVERSITY OF MICHIGAN

BV
5095
.G7
A4
1857

# GERARDI MAGNI

133

*EPISTOLAE XIV.*

Groote, Gerard

# GERARDI MAGNI

## EPISTOLAE XIV,

E CODICE REGIO HAGANO NUNC PRIMUM EDITAE ET PERPETUA ANNOTATIONE,
QUA MELIUS ET IPSE ET TEMPORA EJUS COGNOSCANTUR,
INSTRUCTAE,

QUAS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

FREDERICI KAISER,

MATH. MAG. PHIL. NAT. DOCT. IN FACULT. DISC. MATH. ET PHYS. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

**PRO GRADU DOCTORATUS**

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

**in Academia Lugduno-Batava**

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

**JOHANNES GERHARDUS RICHARDUS ACQUOY,**

Amstelodamensis,

AD DIEM V OCTOBRIS MDCCCLVII, HORA III—IV,

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELODAMI,

APUD H. W. MOOIJ.

MDCCCLVII.

BV
5095
.G7
A4
1857

TYPIS HEREDUM H. VAN MUNSTER & FIL.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS.

374606

*Librum hunc, quo summos in theologia honores consequerer, scribenti, propositum mihi fuit recedere a more, quem omnes dissertationem academicam in lucem edentes sequi videbam, gratiasque praeceptoribus agendas non publice sed privatim solvere. Neque hanc agendi rationem ab iis, quibus notus essem, improbatum iri pro certo habebam; ceteros autem quid curarem? Religiose enim timebam, ne tot tantaque praeceptorum nomina, quae recensere deberem, magis ostentationis quam gratias agendi causa operi meo viderentur praemissa.*

*Attamen quum jam in eo sim, ut libro finem imponam, cogit animus omittere propositum, neque huic animi motui resistere valeo. Nam si qua in me est doctrina, equidem scio quibus eam acceptam referre debeam. — Tibi,* BOSSCHA, *V. Cl., (felix patria, quae tales alit viros; felices discipuli, qui tali utuntur praeceptore!) tibi quid debeam, vix exprimere possum. Tu literarum humaniorum, tu studii historiae majorem amorem mihi insprirasti; te valetudine adversa laborantem quanto cum dolore in medio studiorum stadio reliquerim, numquam obliviscar.— Quem tamen tu dolorem, qua es humanitate et doctrina, leniisti,* BOOT, *V. Cl., qui privatis quoque scholis, non solum publicis tuis interesse, benigne mihi concessisti. — Nec te silentio praeterire possum,* BEIJERMAN, *V. Cl., quem rhetoricam tradentem literasque patrias docentem summa cum voluptate neque, ut spero, sine magno fructu audivi. — Quid vero tibi dicam,* VETH, *V. Cl.? Si quid in literis orientalibus profecerim, si in V. T. interpretando aliquid valeam, harum rerum te esse auctorem, omnes scire cupio. Non solum lectiones tuas frequentavi, verum etiam*

R.H.

*per quadriennium privatim te audivi, discipuloque semper non magis praeceptor quam amicus exstitisti. — Si amici alii, tu quasi pater mihi fuisti,* MOLL, *V. Cl. Quid tibi in doctrina, quid in vita debeam, solus scit Deus, qui eo me amore prosecutus est, ut te vitae ducem haberem. Quantam vim tua consuetudo in me habuerit, nulla potest exprimere oratio. Ut ipse bonam vitam magnae doctrinae praeponis, ita me non minus tuo exemplo vere pio ad majorem pietatem, quam egregia tua disciplina ad majorem eruditionis amorem incitatum esse fateor. — Tibi quoque,* DOMELA NIEUWENHUIS, *V. Cl., toto me animo devinctum esse scias. Nam si gravissimo munere, cui me addixi, non plane indignus fuero, tuis consiliis, tuis praeceptis, tuae institutioni illud magna ex parte debebo. — Neque illam qua tu vales,* MILLIES, *V. Cl., interpretandi sacras literas facultatem, ut illud munus satis ornatus susciperem, multum mihi profuisse, umquam negabo. — In eo etiam laudare fortunas meas non satis possum, quod te audire potui,* MULLER, *V. Cl., cujus experientia in instituendo futuro concionatore multum me profecisse, gratus sentio. — Si historiae studio me captum esse fateor, te quoque,* VAN GILSE, *V. Cl., populi Israelitici historiam tradentem, non solum cum voluptate audivi, sed multa, quae ad meum consilium pertinerent, inde me hausisse agnosco. — In hac autem praeceptorum enumeratione defuncti nomen omittere, impium esset. Si quis alius, ego profecto viri numquam satis laudandi,* ABRAHAMI DES AMORIE VAN DER HOEVEN, *memoriam grata semper mente colam. — Tandem tibi,* KIST, *V. Cl., promotor aestumatissime, pro indulgentia qua de hoc meo opere judicasti, pro benignitate qua me excepisti, pro consiliis quibus me adjuvisti, gratias ago atque habeo quam maximas.*

---

# PRAEFATIO.

Fuit quondam tempus, quo nomen magistri Gerardi Magni piissimo cuique in patria nostra vicinisque regionibus notum erat; quo summis laudibus efferebantur quae ad „vitam reformatam" promovendam effecerat; quo opera ejus accurate describebantur, haud parum legebantur, pie custodiebantur. Sed labentibus annis nomen ejus inter populares fere in oblivionem abierat; de magnis ejus meritis apud eos non amplius cogitabatur; quae scripserat ferme ignota, paucissimis visa, vix uni lecta erant.

Anno tandem 1651 Jacobus Revius apud nostrates agmen duxit eorum, qui, de Daventria urbe vel de episcopatu Daventriensi libros in lucem edentes, non solum hujus dignissimi Daventriae civis nomen memorabant, verum etiam consulto de eo agebant. Tales praeter Revium fuerunt Lindeborn, van Heussen, van Rhijn, Dumbar (qui etiam in opere suo: Analecta Belgica, haud pauca ad meliorem ejus cognitionem attulit). Sed si excipis V. Cl. Jacobum Perizonium in oratione inaugurali: De doctrinae studiis nuper post depulsam barbariem diligentissime cultis (Lugd. Bat. 1708), nemo nostratum, nisi de rebus Daventriensibus scriberet, hanc materiam attigit, ne ii quidem, qui historiam vel reformationis vel ecclesiae vel patriae scriptis mandabant.

Quicunque hodie in eadem hac nostra regione homo literatus aut cultus et bene educatus vult audire, ignarus esse nequit èt ipsius Gerardi èt congregationis fratrum vitae communis, quae eum habuit fundatorem; et qui, seculo nondum elapso, in copiosissima historiae patriae expositione ne nomine quidem intromittebatur, nostra aetate pueris in scholis vix ignotus est. Magna profecto rerum immutatio! Quae quando et unde originem ceperit, videamus.

Opus, a V. Cl. A. Ypey et V. Ven. J. J. Dermout anno 1819 editum: *Geschiedenis der Nederlandsche hervormde kerk*, quum Gerardo Magno et fratribus vitae communis summam tribueret laudem atque in multorum manibus esset, procul dubio tum Gerardi tum fratrum notitiam valde promovit. Sed hac in re multo etiam magis valuit aliud. Quum enim, certamine literario publico de artis typographicae progressu ejusque in hominibus excolendis efficacitate, a Societate provinciali Ultrajectina artium et disciplinarum instituto, anno 1818 palma donatus esset vir venerandus G. H. M. Delprat, hic autem libro, quo illum consecutus erat honorem, nonnulla inseruisset ex opere *Origine de l'imprimerie, par* Lambinet (Paris. 1810), ex quo ipse primam fratrum vitae communis notionem hauserat, haec attentum lectorem invenerunt virum consultissimum W. C. Ackersdijck, quo auctore eadem Societas novam publice proposuit quaestionem de illorum fratrum congregatione. Quod conamen tum quidem frustra fuit. Sed quum anno 1828 iteraretur, inde prodiit opus valde egregium,

ab eodem Delprat conscriptum, anno 1830 in lucem editum. Ab illo inde tempore èt nomen èt merita Gerardi Magni iterum nota et agnita fuerunt. Ejusdem operis versio Germanica et liber insignis, quem duodecim annis post edidit Carolus Ullmann, *Reformatoren vor der Reformation*, utrumque etiam in Germania promulgarunt. At non idem de scriptis ejus affirmari potest. De quibus, quia magis ad nostrum pertinet argumentum, copiosius est agendum.

Gerardum Magnum plurima scripsisse unumquemque jam docere poterat series, quam ex Indice manuscriptorum librorum per Belgium, olim a Joanne Bunderio confecto, nonnullis additis exhibuerat Valerius Andreas (1643), quem descripserunt Joa. Franc. Foppens (1739) et Paquot (1765). Omnia autem habebantur in libris manuscriptis, partim per patriam nostram, partim per Germaniam, sed maxima parte per Belgicam dispersis. Non nisi tres scriptiones: Publica protestatio, Conclusa et proposita, et De sacris libris studendis, in Vita ejus, a Thoma a Kempis conscripta, cum hujus operibus in lucem editae erant. Quibus addi possunt paucissima, quae passim Thomas ex epistolis ejus allegavit, et nonnullae epistolae s. epistolarum fragmenta, servata in libro rarissimo, qui inscribitur: Chronicon canonicorum regularium capituli Windesemensis auctore Joanne Buschio, Antv. 1621.

Prodiit anno 1829 prima pars operis, in summo deinde honore habiti, *Archief voor kerkelijke geschiedenis, inzonderheid van Nederland*; in ea initium sermonis, quem ad clerum Trajectensem olim habuerat Gerardus, ser-

monis dico de Focaristis. — Qui cum viris clarissimis N. C. Kist et H. J. Royaards ad historiam ecclesiae, praecipue Neêrlandicae, promovendam, opus laudatum edidisset, V. Cl. Theod. Adr. Clarisse, sermonem illum e codice Groningano, collatis duobus Trajectensibus, descriptum typis mandare in mente habuerat, sed heu jam e vita discesserat. Illi autem honor debetur, primum fuisse, qui post quatuor secula et quod excedit Gerardi opera colligere et edere conatus sit.

Operi a filio suscepto institit pater. Qui summa diligentia et doctrina, qua erat, non solum sermonem jam laudatum e chartis, a filio relictis, notis illustratum edidit, verum etiam optime de Gerardo ex hujus scriptis disseruit, Tractatum de locatione ecclesiarum e duobus codicibus Trajectinis, et Tractatum de matrimonio e codice Groningano protulit, epistolas tres [1]) e codicibus Trajectinis et Groninganis elicuit, epistolarum fragmenta, quae in Chronico Windesemensi latebant, ex editione Rosweydiana (Antv. 1621) jam laudata, collato ejusdem operis codice Trajectino, collegit, ea quae Thomas a Kempis post Vitam Gerardi Magni inseruerat, adjecit, ut verbo dicam, omnia, quae aut jam edita fuerant aut in codicibus manuscriptis a se inventa erant, typis mandavit, notis doctissimis instruxit. Legi

---

[1]) Epistola ad quendam fratrem infirmum; Epistola ad presbyterum s. missa cuidam sacerdoti saeculari et honesto pro sua informatione, et Epistola quam scripsit cuidam juveni volenti accipere beneficium curatum ob paupertatem suorum parentum (*Archief* cet. III, *Bijlage* 1, 2, 3). Consonant hae tres cum Codice nostro, fol. 144 r.—147 r.; fol. 198 r.—201 r.; fol. 148 r.—154 r.

haec possunt in opere *Archief* cet. I, II, III, VIII. Hanc Gerardi hereditatem postea auxit V. Cl. J. van Vloten, edita scriptione Neêrlandico sermone: *Zedelijke toespraak* (*Nieuw Archief*, II. p. 295—307).

Hic rerum status erat, quum anno 1856 editio secunda vere aucta et emendata notissimi operis Delpratii prodiit. Ad quam parandam hic felicissimus historiae fratrum vitae communis indagator et diligentissimus codicum manuscriptorum perscrutator, inter plura alia, usus erat codice regio Hagano, magnum numerum epistolarum Gerardi Magni continente, quem in patria nostra esse hucusque omnes ignoraverant. Ipse pro argumento suo paucissima tantum ex hoc thesauro depromsit. Codex autem dignissimus videbatur, qui, ut Gerardus melius cognosceretur, publici juris fieret. Hoc opus, auctore maxime praeceptore meo vere amicissimo et summa pietate dilectissimo, V. Cl. Guilielmo Moll, cujus de historia ecclesiae tam universali quam patria merita nemo nescit, suscipere sum conatus. Primum harum epistolarum fasciculum, juvenili ardore, quamquam et juvenilibus tantum viribus elaboratum, offero lectori, propositum habens operi incepto instandi. Sed de ipso Codice ac de iis quae arcte cum argumento nostro cohaerent, videamus.

Codex, ut modo dixi, est Bibliothecae regiae Haganae [1]), in quam anno 1809 ex celeberrima Bibliotheca de la Serna Santandri, auctione Parisiis ha-

---

[1]) Juvat hic publice gratias agere viro ornatissimo literatissimo J. W. Holtrop, Bibliothecae illius praefecto diligentissimo, cujus summa mihi in hoc opere conficiendo uti licuit liberalitate.

bita, transiit. Indicatur numero 154 l. Continet tres partes majores in 4°., quarum prima partim in charta pergamena partim in papyro, secunda et tertia non nisi in papyro est scripta. Differunt inter se èt literarum forma èt verborum compendiis. Prima usque ad fol. 88, secunda u. a. fol. 112, tertia u. a. fol. 262 excurrit. Habentur in iis quae sequuntur:

I.

1. Extravagans Urbani papae quinti: Ne in vinea [1]). (Fol. 1 r. et v. et 2 v.)
2. [Parvum fragmentum sic incipiens:] Quidam doctor sacrae paginae contra proprietates monachorum sic inquit in tractatu Medelae animae vulneratae. Discutiendum autem super vitio proprietatis cet. (Fol. 2 r. et v.)
3. Magister Gerardus Groot abbati Campensi: Humiliori mea in Christo Jesu recommendatione praemissa, pater et domine reverende. Gaudium fuit cordi meo cet. (Fol. 3 r. —8 r. Eadem epistola iterum legitur in tertia parte, fol. 233 r. —239 r.)
4. [Epistola Gerardi Magni sic incipiens:] Tibi in Christo soror. (Fol. 8 r. —11 r. Denuo invenitur in tertia parte, fol. 239 r.—243 r.

   His duabus epistolis in summo margine superscriptum est: Contra proprietarios monachos.)
5. Incipit epistola magistri Gerardi Groet missa cuidam religioso tribulato pro consolatione. Praedilecte cordi

---

[1]) Extravagantium communium Lib. V, Tit. I, Cap. 1. Annales eccl., auct. Odorico Raynaldo, Rom. 1667, ad ann. 1369, N°. 15.

meo in Christo Jesu cet. (Fol. 11 r. —16 v. Etiam haec iterum legitur in tertia, fol. 180 r. —187 r.

In margine superscriptum est: Cuidam tribulato.)

6. Monita ejusdem cuidam noviter converso transmissa incipiunt. Novus monachus debet cet. (Fol. 16 v. — 19 r. Denique et hoc scriptum iterum est in tertia parte, fol. 201 v. —204 v.)
7. Incipiunt epistolae magistri Petri Blaesensis [1]), non secundum ordinem sed secundum hujus scriptoris incumbentem necessitatem. Et prima: Quam dulcia sunt flagella Domini. Salutem in eo, sine quo non est salus. Audivi quod cet. (Fol. 19 r. —21 r.)
8. Qualiter consolatio claustralium sit sacra lectio. Quodam jure naturae in contractum amicitiae venit cet. (Fol. 21 r. —22 r.)
9. Innitatur novitius ad fervorem religionis c. XXXVII. Salutem et de mundo triumphum cet. (Fol. 22 r. Est septem linearum fragmentum.)
10. Incipit prologus regulae Basilii episcopi Cappadociae [2]). Satis libenter carissime frater cet. (Fol. 22 v. —23 r.)
11. Explicit prologus; incipit regula sancti Basilii episcopi Cappadociae [2]). Humanum genus diligens Deus cet. (Fol. 23 r. —87 r.)

II.

1. Contra proprietates monachorum. Lex divina: non

[1]) De Petro Blaesensi ejusque operibus vid. Fabricius, Bibl. Latina, Hamb. 1736, V. p. 732—736; Cave, Hist. liter. ad ann. 1160.

[2]) Prologus hic et regula ad verbum leguntur in libro Hospiniani De origine monachatus, p. 69—104 (Opp. VI). Recensentur a Fabricio, Bibl. Graeca, Hamb. 1717, VIII. p. 81.

imiteris multitudinem ut facias mala. Ecce enim non qui bona monasterii (?); cuncta bona sunt ecclesiae Dei cet. (Fol. 89 r.—95 v.

In summo margine legitur: Contra proprietarios et simoniace receptos monachos.)

2. Devotissimis in Christo fratribus et sororibus venerabilibus conventus sancti Aegidii monasterii ordinis sancti Benedicti cet. (Fol. 96 r.—110 v.

In margine modo legitur: Contra monachos proprietarios; modo: Contra proprietates monachorum et monialium.)

III.

1. Protestatio magistri Gerardi dicti Teutonice Groot super epistolis, dictis, praedicationibus et sermocinationibus ejus. Ego Gerardus dictus Teutonice Groet cet. [1]). (Fol. 113 r.—113 v.)

2. Incipiunt epistolae magistri Gerardi dicti cognomine Groot. (Fol. 113 v.—262 r.)

Hae epistolae sunt numero sexaginta sex, una ni fallor manu exaratae [2]). Quadraginta quinque earum titulos habent rubrica scriptos, quibus ceterae carent. Undevigesima et vigesima non sunt Gerardi Magni sed Guilielmi de Salvavarilla, cantoris Parisiensis, archidiaconi in Brabantia et canonici Leodiensis in

---

[1]) Edidit eam Thomas a Kempis post Vitam Gerardi Magni.

[2]) Forsitan tres vel quatuor manus dignosci possint. Sed non ausim definire, quid singulae ad opus contulerint (Conf. *Archief* VIII. p. 360). Unam tantum paginam (fol. 260 v.) procul dubio alia manus conscripsit. Haec autem eadem est, quae XLV epistolas inscriptione munivit.

summo. Utraque edita est in Thomae a Kempis Vita Gerardi Magni. Restant igitur sexaginta quatuor.

In promtu est quaestio de Codicis aetate. Prima pars, quae tota una eademque manu scripta est, in fine haec habet: „Scripta in praesenti volumine per fratrem Petrum Cortoy. Orate fratres pro anima ejus. 1439. 27 Septembris." Sed nec in secunda nec in tertia parte tempus indicatur. Accedit quod scriptura in utraque valde differt a ratione scribendi fratris Petri. In hac re auxilio nobis est ipsa charta, quae ubique fere eadem videtur, ita ut, si aetas differat, saltem multum differre omnino nequeat. Hinc effici licet non errare qui collectionem epistolarum, in tertia parte obviarum, medio seculo XV scriptam putet. Epistolae autem ipsae jam antea ita collectae fuisse possunt.

Et sic quidem jam quodammodo judicari potest, utrum sincerae an spuriae sint habendae. Mortuus erat Gerardus Magnus anno 1384. Tempus inde elapsum nimis breve est, ut metus adulterationis exsistat. Adde reverentiam, quam Gerardi memoriae omnes praestabant, honorem quo habebatur, pietatem qua colebatur. Attende artem criticam, quam in literis discipuli ejus exercebant. Confer stilum contortum, periodos longe productas, cetera, quae rationi ejus dicendi in operibus procul dubio genuinis propria sunt. Sed quid plura? Adsunt testimonia, quibus objici nil potest. Fateor ea non ad omnes spectare epistolas; saltem ad permultas. Fere omnia enim quae Thomas a Kempis,

quae Rudolphus Dier de Muden, quae Joannes Busch ex epistolis ejus allegarunt, in Codice nostro inveniuntur [1]). Thomas autem quatuor ante Gerardum mortuum annis natus, vitam degit inter clericos regulares quos hic instituerat; Rudolphus, qui et ipse Daventriae erat frater vitae communis, scriptum suum De magistro Gerardo Grote, domino Florentio et multis aliis devotis fratribus, composuit anno 1408 [2]); Joannes tandem Chronicon suum Windesemense anno 1464 ad finem perduxit [3]).

Epistolas Gerardi Magni jam primis temporibus fuisse collectas et a pluribus in unum corpus redactas, luculenter apparet. Sic Rudolphus Dier (Dumbar, Analect. I.) p. 29: „De fine istius magistri Rudolphi scribit ma-

---

[1]) Thom. a Kemp., Vita Ger. Magni, cap. 8, Cod. fol. 136 r.; cap. 9, Cod. fol. 175 r.; cap. 13, Cod. fol. 167 r. — Idem, Vita Joannis de Gronde, Cod. fol. 173 v. — Idem, Chron. montis S. Agnetis, p. 175, Cod. fol. 250 v.—260 v. — Rud. Dier de Muden (Dumbar, Analecta, Dav. 1719, T. I.) p. 29, Cod. fol. 216 r. — Joa. Buschius, Chron. Wind. p. 15, Cod. fol. 210 r.; p. 17, f. 141 r., 142 v.; p. 160, f. 205 r. (?); p. 385, f. 198 r.; p. 394, f. 137 v.; p. 395, f. 136 v.; p. 424, f. 117 v.; p. 426, f. 134 v; p. 510, f. 243 r.; p. 609, f. 259 r.; p. 609, f. 258 v.; p. 610, f. 260 v.; p. 610, f. 210 r.; p. 611, f. 258 r. — Non inveni epistolam, de qua loquitur Rud. Dier de Muden (Dumbar, Anal. I) p. 29: „De fine istius magistri Rodolphi scribit magister Gerardus, et habetur scriptum in libro epistolarum suarum," nec ipsas epistolas ad canonicos Trajectenses, de quibus (sed fortasse non recte) sermo est Chron. Wind. p. 160. Neque memini me in Codice legere verba, quae ex epistola quadam Gerardi allegavit Petrus Hoorn (Dumbar, Anal. I. p. 115): „Utinam gustu tangeretis sacerdotium sublimem fore rem et puram conscientiam requirere."

[2]) Dumbar in dedicatione Tomi I Analectorum.

[3]) Chron. Wind. praefatio in fine.

gister Gerardus, et habetur scriptum in libro epistolarum suarum." Sic Thomas a Kempis in Vita Gerardi cap. 13: „Scripsit namque inter cetera plures notabiles epistolas, quae apud plerosque simul aggregatae pro digno memoriali servantur et leguntur." Sic idem in Chron. montis S. Agnetis p. 175: „Huic (Joanni Cele) etiam magister Gerardus amicabiles literas destinavit, cujus dicta intimo complectens amore, totum corpus epistolarum ejus sibi congregavit affectu legendi [1]."

In Catalogo Bibliothecae conventus S. Barbarae Delfii in Hollandia, ante annum 1500 conscripto et nuperrime a V. Cl. Guilielmo Moll notis instructo et publice edito, etiam recensentur: *van meester* Gheryt de Groot *epistelen.* Praeeunte Joanne Bunderio in Indice, Valerius Andreas, Joa. Franc. Foppens et Paquot monuerunt, praeter singulas nonnullas Gerardi epistolas etiam fuisse earum epistolarum collectiones s. „epistolas ad diversos," in monasterio Septem fontium apud Bruxellas, Huji apud Cruciferos, in Cartusia Gandavensi et Zelemensi, Tungris apud Regulares.

Sperans fore ut illas quoque Gerardi epistolarum collectiones forte invenirem, quas cum codice Hagano possem conferre, vel ut saltem scirem quid de scriptis ejus, tempore Bunderii per Belgicam sparsis, sed de quibus postea nemo inquisitionem instituerat, factum esset, huic rei operam impendi. In qua maximo auxilio mihi fuit vir literatissimus J. A. Alberdingk Thijm, cui

---

[1]) An fortasse haec nostrae collectionis origo?

gratias jam privatim actas hic publice repetere jus et fas est. Commendavit me et studium meum viris clarissimis J. Bormans, in universitate Leodiensi, et K. Stallaert, in Athenaeo regio Bruxellensi professoribus, viro consultissimo Prudens van Duyse, Flandriae orientalis archivario, viro doctissimo E. van Even, Lovanii urbis archivario, et viro ornatissimo J. van Beers, praeceptori in schola normali Lirensi. Qui omnes, summa qua sunt humanitate, literis meis amice responderunt, ut nunc primus post Bunderium novam seriem, quamquam non ab omni parte absolutam, exhibere possim. Monasteria, de quibus, dictante Bunderio, scripserunt Valerius Andreas, Foppens et Paquot, partim ante Josephum II imperatorem (1765—1790), partim hujus jussu abolita sunt. Codices manuscripti, qui in eis fuerunt, alii in publicas, alii in privatas transierunt bibliothecas, ut statui nequeat, ubinam hodie serventur. Sed ecce novum indicem, cui juvat per benevolentiam nostratis Delprat, viri de omnibus quae ad Gerardum Magnum fratresque vitae communis spectant meritissimi, addere posse epistolas, quas in tribus codicibus habet Bibliotheca publica Argentorati, quasque privatis literis ei indicavit V. Cl. Jung, Bibliothecae illius praefectus.

In Bibliotheca Burgundica Bruxellis.

N°. 3681. Epistolae duae (5 columnae in folio).
f. 167 r. „Tibi in Christo soror, ut secundum Christum scias" cet. [1])

1) Eadem epist. est in Cod. nostro, fol. 8 r.—11 r., et fol. 239 r.—243 r.

f. 167 v. „Humili mea in Christo Jesu recommendatione" cet. [1])

N°. 11917. Exhortationes duae (15 paginae in 16°).
f. 166. „Novus monachus debet humiliter esse, obediens suis superioribus" cet. [2])
f. 171. „Sequitur exhortatio ejusdem de passione Domini" cet.

„ 11866. Exhortatio ad novitium. Eadem ac 11917. [2])

„ 1218. Sermo de paupertate in festo palmarum. (46 col. in folio.)
f. 66 v. „Videant pauperes et laetentur. Psalmo LXVIII. Carissimi, hodiernus Domini adventus seu introitus" cet. [3])

„ 2603. Tractatus contra focaristas (100 pag. in 8°).
f. 1—51. „Recedite recedite cet. Jes. LII. Patres et domini venerabiles". [4])
Idem codex continet: „Tractatum domini Johannis Ruysbroec de septem gradibus amoris," a Gerardo Magno Latine versum.

---

[1]) Videtur haec epist. eadem esse ac quae in Codice nostro occurrit f. 124 r.—125 v.

[2]) In Codice nostro f. 16 v.—19 r., et f. 201 v.—204 v. In Bibliotheca Seminarii Episcopalis Leodiensis B. 6. L. 18. Bis habetur in Bibliotheca publica Argentorati; vide infra hujus Biblioth. Indicem ad 3.

[3]) In Bibl. Sem. Ep. Leod. B. 6. G. 28.

[4]) Edidit hunc Tractatum s. Sermonem e tribus codicibus Joa. Clarisse in opere *Archief*, I. p. 364—379, II. p. 307—395, VIII. p. 5—107.

N°. 1621 et 2611. Eadem hujus Tractatus versio.

„ 1620. De duodecim virtutibus. Itidem a J. Ruysbroec conscriptum et a Gerardo Latine versum.

„ 1619, 4940, 4943, 14723. Ornatus spiritualium nuptiarum. De quo idem valet. [1])

In Bibliotheca Seminarii Episcopalis Leodiensis[2]).

B. 6. L. 17. Epistola ad quemdam fratrem infirmum [3]). Alia epistola.

„ „ L. 18. Epistola quae incipit: Novus monachus debet [4]).

„ „ M. 7. Epistola ad quemdam sacerdotem [5]).

„ „ F. 9. Epistola ad quemdam religiosum tribulatum [6]).

„ „ M. 13. Epistola eadem [6]).

Monita spiritualia [7]).

---

1) Est eadem versio in Bibl. Sem. Episc. Leod. B. 6. N. 8.

2) Major codicum horum pars provenit a Fratribus S. Crucis Hujensibus. Nonnulli ab iisdem fratribus Leodiensibus. Omnes sunt in 8° vel in 12° manu scripti.

3) Quam e codice Trajectino edidit J. Clarisse, *Archief* III, *Bijlage* 1. Habetur in Codice nostro, fol. 144 r.—147 v., et bis in Biblioth. publ. Argentorat.

4) Conf. quae supra annotavi ad Indicis Biblioth. Burgund. Ns. 11917 et 11866, et vide infra Ind. Bibl. Argentorat. ad 3.

5) Nisi valde fallor, eadem est ac quam e codice Groningano, collato Trajectino, edidit J. Clarisse, *Archief* III, *Bijlage* 2, et quam offert Codex noster fol. 148 r.—154 v.

6) Eadem epistola bis exhibetur in Codice nostro, fol. 11 r.—16 v., et fol. 180 r.—187 r. Bis in Bibl. Argentorat., cujus Indicem vide ad 4. Semel in codice, numero nondum signato, quem nuper per bibliopolam Parisiensem acquisivit Bibl. Acad. regiae Amstelod.

7) Titulus mihi ignotus est. Non invenitur apud Val. Andream, cet.

Concilia (*sic*) [1]).

B. 6. G. 25. Gerardi consilia [1]).

„ „ M. 20. De intrantibus aliquem ordinem [2]).

„ „ G. 28. Sermo de paupertate in festo palmarum [3]).

„ „ G. 21. Articuli contra presbyteros fornicarios [4]).

„ „ H. 17. Extracta contra sacerdotes fornicarios [4]).
De pluralitate beneficiorum [5]).

„ „ N. 8. Translatio ornatus spiritualis desponsationis, quam dedit D. Johan. de Rusbroci, presbyter in Viridi valle juxta Bruxell: Ecce sponsus cet. [6]).

Addo et duo haec:

B. 6. L. 23. Vita venerabilis Gerardi Magni. Accedunt nonnulla de ipso et ab ipso.

„ „ H. 12. Vita Gerardi Magni.
Plura de eo et ab eo.

---

Monita haec mihi videntur eadem esse ac »Dicta quaedam magistri Gerardi Magni," quae edidit J. Clarisse e codice Tydemanniano, *Archief* I. p. 361—363.

[1]) Nec hic titulus mihi in promptu est. In mentem autem venit ejus, quod scripsit Rud. Dier de Muden (Dumb. Anal. I p. 51): »Consimiliter magister Gherardus Grote conscripsit aliqua puncta, veluti conclusiones juxta quas intendebat dirigere mores suos." Quae, ni fallor, nihil aliud sunt nisi Conclusa et proposita, edita a Thoma a Kempis post Vitam G. M. et inde a J. Clarisse, *Archief* VIII. p. 371 seqq. — Id temporis mos erat apud »devotos," talia scribere puncta. Fecerunt, praeter Gerardum Magnum, Florentius Radewinus, Johannes Kessel et dominus Lubbertus (Dumb. Anal. I p. 51).

[2]) An forte idem est ac »De institutione novitiorum" apud Bunderium?

[3]) Conf. Biblioth. Burgund. N°. 1218.

[4]) Articuli s. Extracta haec jam e codice Trajectensi edita sunt a J. Clarisse, *Archief* VIII. p. 108—117.

[5]) Videtur idem esse ac »Tractatus de beneficiis curatis" apud Bunderium.

[6]) Eadem versio adest in Bibl. Burg. N°. 1619, 4940, 4943, 14723.

In Bibliotheca publica Argentorati.

Codex primus: „Epistolae Parisiensis magistri Gerhardi Grosz vel Magni de Daventria, devote viventis in habitu seculari.

1. Ad quendam fratrem Carthusiensem infirmum. Frater in Christo Jesu valde dilecte. Intellexi tentationem vestram [1]).

2. Idem magistro Johanni, rectori Swollensi. Frater et amice. Sitis laetus in Domino [2]).

3. Idem. Epistola seu dicta quaedam de novo monacho. Novus monachus debet esse [3]).

4. Ej. epistola. Praedilecte cordi meo [4]).

5. Idem suo novitio. In nomine Domini. Ingredere monasterium hoc [5]).

6. Ej. epistola. Recepi literas insuper valde [6]).

7. Ej. epistola. Humiliori mea in Christo Jesu recommendatione praemissa. Pater et domine reverende [7]).

8. Ej. epistola. Prae aliis et valde quondam et adhuc multum [8]).“

---

1) Vide ad Indicem Biblioth. Sem. Episc. Leod. L. 17.

2) In Cod. nostro, fol. 259 r. et v.; Chron. Wind. p. 609.

3) Conf. in Indicibus duobus hunc praecedentibus Ns. 11917, 11866 et L. 18.

4) In Biblioth. Sem. Episc. Leod. F. 9 et M. 13, ad quos vide.

5) In Cod. nostro, fol. 248 v.—249 r.

6) Nec exstat in Codice nostro nec in alio, praeter hos tres codices Argentoratenses, mihi noto.

7) In Cod. nostro bis habetur: fol. 3 r.—8 r. et fol. 233 r.—239 r.

8) In Cod. nostro fol. 243 r.—248 r.

Codex secundus continet numeros 5, 4, 6, 3.

Codex tertius offert numeros 1, 5, 6, et intra 5 et 6 epistolam quandam, quam V. Cl. Jung putat Gerardo adjudicandam esse, quia in multis cum ceteris consentit. Sic incipit: „Salutem in salute, satis praedilecte mi in Christo." At in Codice nostro non occurrit.

Fide operis *Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, herausgeg. von* G. H. Pertz (Th. III, 637), etiam in Bibliotheca regia Hannoverana nonnullae Gerardi Magni epistolae latent in codice M. S. in 4°. Paucissimae profecto esse debent, quippé quae non nisi novem schedas (111—119) impleant. De his nescio quid putem. Nam quum praeceptor meus, V. Cl. Moll, anno superiore iter per Germaniam mediterraneam faciens, Bibliothecam ipsam visitaret et de codice illo inquireret, Bibliothecae praefectus invenire eum non potuit, nec se scire eum umquam affuisse testatus est.

Ecce, lector benevole, quae adhuc de Gerardi operibus, nostra aetate servatis, mihi innotuerunt. Qui de codicibus Belgicis mihi scripserunt, amice addiderunt se et ulterius inquisituros esse, neque dubito fore ut promissa solvant vel solvere pergant. Me invitum tempus coegit operi edendo initium facere. Sed omnia, si forte quid novi vel percepero vel ipse invenero, usui publico tradam. Obstiterunt plura. Codices varios inter se conferre cupientem, ab una parte viae diplomaticae, qua bibliothecae apud exteros adeundae sunt, me

detinuerunt ambages, ab altera vero feriae aestivae bibliothecas illas mihi clauserunt.

Hae res adversae sponte sua magnam habuerunt vim in electione epistolarum, quas nunc lectori offero. Conatus enim sum eas edere, in quibus elaborandis quam minime ab aliis codicibus pendere viderer. In qua re utrum recte an falso divinaverim, doceat tempus.

Verbo monendum est de orthographia. Nec necessarium ad rem, nec lectori jucundum videbatur, voces exarare sicut eas in Codice exaratas inveneram. Secutus sum hodiernum scribendi morem, exceptis interdum nominibus propriis, scilicet ubi ob unam alteramve causam, de quibus tamen singulis singulas rationes reddere non necesse putavi, melius mihi visum est [1]). Satis est semel monuisse, Codicem nostrum hac in re nihil differre a ceteris ejusdem aetatis. Sic pronominum *vos*, *vobis*, *vester*, pro singulari *tu*, *te*, *tibi*, *tuus*, et pronominum *suus*, *sibi* pro personali *ejus*, *ei* fere constans est usus. Sic saepissime scriptum est *ch* pro simplici *h*, e. gr. ach, nichil; *ci* pro *ti*: forcior, eciam; *e* pro *ae* et *oe*: hec, celum, penitencie; *mp* pro *m* et *n*: dampni, temptare; *i* et *y* permutantur: charibdis, ymmo; *h* additur vel omittitur: habundare, exibeat, et plura leguntur, quae magis auditu quam etymologia conveniunt.

Haec de literis, quibus voces constant. Voces autem

---

1) Urbem Parisiorum semper nomine indeclinabili *Parisius* indicatam inveni. Neque haec Codici uni nostro propria est, sed satis constans in omnibus ejusdem aetatis libris scriptura. Conf. Du Fresne du Cange, Glossarium i. v.

ipsas sive verborum contextum ita descripsi ut inveneram, etiam ubi corruptum eum esse apparebat; eique conjectura succurrere non sum conatus nisi in annotationibus, pro certo habens, in disciplinis severissimam esse debere religionem etiam in iis, quae alicui forte pusilla possint videri.

At forte quis roget, quale sit consilium meum in annotationibus, quibus instruxi epistolas. Consilium illud unicuique legenti mox in promtu erit. Quippe hoc est, ut ex iis, quae aliunde de Gerardo Magno memoriae prodita sunt quaeque ad ejus aetatem spectant, epistolis ejus lucem afferam, et simul ex epistolis vitam ejus atque mores et tempora illustrem. Spero fore ut quicunque hunc librum legat, meliorem inde percipiat cognitionem tum conditionis ecclesiae Christianae in patria nostra per seculum decimum quartum, tum viri, qui in ea prae multis aliis fuit homo doctus et vere pius, ardens Euangelii praedicator, ecclesiae reformandae èt verbis èt vita promotor strenuissimus.

Scribebam Amstelodami, d. 29 Augusti MDCCCLVII.

---

# EPISTOLA I.

## (Codicis XLVI. Folio 208v.—210r.)

---

Pertinet haec epistola ad tempus, quo magister Gerardus Magnus, postquam tres annos lectioni et orationi vacaverat (Thom. a Kempis, Vita G. M. cap. 8), diaconus ordinatus ut verbum Dei publice posset praedicare (Idem, Chron. montis S. Agnetis, Antv. 1621, p. 149; J. Busch, Chron. Windesemense, Antv. 1621, p. 2), et peculiari per totam dioecesim Ultrajectinam praedicandi auctoritate ab ipso Florentio episcopo instructus (Chron. Wind. p. 3), conciones sacras ubique habebat incredibili omnium concursu (Vita G. M. cap. 8; Chron. Wind. p. 4; Chron. m. S. Agn. p. 3, 4). Quum autem ardore accensus animos plurimorum commoveret, vitia hominum perstringeret, ecclesiae abusus detegeret, multas sibi inimicitias contrahebat. Sed nec minis adversariorum turbabatur, nec vituperationibus exprobrantium irritabatur. Unde, teste Thoma a Kempis (Vita G. M. cap. 9) „longum est enarrare labores quos pertulit in praedicando, conflictos quos habuit contra subversores fidei in disputando."

Hujus rei documento etiam haec epistola est. Johannes quidam, cui scripta fuit, jam dudum clam et palam Campis, Swollis, Zutphaniae, alibi, Gerardum ejusque doctrinam infamaverat. Qui amice et fraterne eum monet ut abstineat a contumelia, ne eum ad judicium, vel etiam ad curiam ipsius Papae trahat.

### [Ad fratrem Johannem.]

Frater Johannes, opto vobis salutem et spiritum saniorem. Jam dudum clam et manifeste in Campen,

*Frater Johannes.* Quis fuerit, | cetera historiae documenta non docent.

in Swollis, in Zutphania et in locis aliis amici mei nuntiaverunt mihi verba vestra ventosa, fatua et plena blasphemiis, quae velut titubans et claudicans in sanctorum doctrina, fatue contra me et meam doctrinam ut dicitur ubique jactatis, imo verius contra apostolicam et euangelicam doctrinam et sanctorum vestigia, quas ubique praedico et absque formidine contra omnes eas lacerantes, Domino cooperante, defendam; quas scio multos indoctos et scientiam Dei ignorantes, spiritum Dei non habentes, impatienter et graviter sustinere. Haec a vobis usque nunc sustinui, sed deinceps intendo vobis obviare et rogare ut Deo et mihi emendetis. Et ad emendationem hujusmodi, ad satisfactionem et reclamationem, ad retractationem falsorum vestrorum verborum contra me et sanctorum doctrinam jactatorum, moneo primo, secundo et tertio caritative et fraterne. Quod si non feceritis, saltem ad dictamen domini Petri in Daventria et domini Regneri in Swollis curatorum, aut ad

*et sanctorum vestigia.* Legendum videtur *ad sanctorum vestigia.*

*quas ubique praedico.* Thom. a Kempis, Vita G. M. cap. 15: „Praedicavit autem in principalioribus civitatibus dioecesis Trajectensis: Daventriae, Swollis, Campis, pluribus vicibus, et in Trajecto coram universo clero; atque in Hollandiae partibus: Leidis, Delfi, Goudae et in Amsterdammo primum sermonem Teutonicum, et in compluribus aliis oppidis ac villis famatis, ubi sperabat aliquem fructum facere et novum populum Deo parturire." Conf. J. Busch, Chron. Wind. p. 4.

*ad dictamen domini Petri in Daventria et domini Regneri in Swollis curatorum. Curator, curatus, curiatus, curio* dicitur pastor ecclesiae (Gallorum *curé;* patrum nostrorum *cureit*). Vid. Du Cange, Glossarium i. v. Idem valent nomina *plebanus*, *pastor* et *persona.* Vid. van Heussen, Batavia sacra p. 20; conf. van Rhijn, Kerk. hist. en outh. I. p. XXXVIII. Teste Binterim (*Denkwürdigk. der christ.-kathol. Kirche*, Mainz 1825, T. I. P. 1. p. 555, 557) nomen *curionis* non in usu erat ante seculum XII. Nomen *plebanus* antiquius est. Concilium Tridentinum hoc nomine utebatur ad indicandos pasto-

dictamen alicujus ipsorum, ex tunc scitote, quod audietis illa quae impatientius sustinebitis. Multas sciatis vias fore mihi contra vos, tam in jure quam in facto. Traham, si voluero, vos ad Romanam curiam, etiam sine rescripto apostolico. Etiam possum a gravamine mihi illato per vos, cum voluero, appellare. Possum ad animam verba vestra revocare. Cavete poenas, contra infamantes homines, contra libellos famosos facientes, confectas et positas. Cavete ea quae dixistis in sermonibus quibusdam, quae nolo vobis de praesenti revelare. Cavete conversationem vestram, si quae in ea fuerunt vel sunt, quae possunt publica detrimenta vobis facere. Cavete si post caritativas has monitiones perseveraveritis

res. — Dominum Petrum, pastorem Daventriensem narrat Thom. a Kemp. in Chron. mont. S. Agn. p. 149, Gerardum Magnum rogasse, quidni fieret presbyter, quum bene esset literatus. Cui hic: »Nollem esse curatus ecclesiae Swollensis una nocte pro pileo meo pleno aureis florenis." Quod verbum tantum valuit, ut dominus Petrus et ipse curae pastorali renuntiaret. — Dominus Regnerus s. Reynaldus de Drynen, pastor Swollensis, teste Thoma a Kempis (Chron. mont. S. Agn. p. 22) erat »homo valde pius et misericors in pauperes," de cetero vir satis inquietus et ambitiosus (van Hattum, *Gesch. d. stad Zwolle*, 1767, p. 192, 235—237; Dumbar, *Kerk. en werelll. Deventer* 1732, I. p. 345, 346). Porro vide Th. a K. l. l. p. 17, 18, et Epist. II.

*etiam sine rescripto apostolico. Rescriptum* est genus illud epistolae, qua imperatores aut summi pontifices consulentibus respondent. *Rescriptum apostolicum* est rescriptum pontificis Romani. Tale rescriptum est species bullae, vulgo hisce verbis incipiens: »Significavit nobis dilectus filius etc." Vid. Du Cange i. v. — Ceterum animadverte potentiam et gratiam, quibus pollebat Gerardus.

*Possum ad animam verba vestra revocare*, i. e. verba tua recordari possum, eaque si necesse est coram judice recitare.

*Cavete poenas*, cet. Qui ad aliquem infamandum publice libellum aut verba contumeliosa confinxerat, secundum canones debebat flagellari et excommunicari. Vid. Concordia discordantium canonum, Pars II, Causa 5, Quaest. 1, cap. 1, 2, 3, in opere: Corpus juris canonici in duos tomos distributum ad modum Ferromontani, ed. 2a, Venetiis 1782, I. col. 472. 473.

in pertinacia vestra. Quam multi mihi credent, si veritatem de vobis propalavero, et si propter defendendam veritatem Deus per me vos constringat, ut incidatis in foveam quam fecistis, et dolor vester in caput vestrum, secundum Psalmistam, descendat! Sed moneo, quod libentius video, vos ad emendationem. Et ut tranquillitas sit undique, quia, in quantum in nobis est, pacem debemus quaerere cum omnibus hominibus, salva tamen semper veritate, cupio vos valere in Domino et vos emendare.

Scriptum sub sigillo meo literis apertis, quia volo quod dominus Reynerus eas videat.

Etiam si dubitaveritis de hoc quod dicere soleo, quod gravior sit persecutio quam patitur Christus jam in membris suis ab eis qui voluntarie homines a vita sancta et viis rectis abducunt, quam ea qua Christum sui crucifixores persequebantur, demonstrabo vobis hoc auctoritatibus sanctorum, qui haec dicunt, et in solubilibus rationibus, quia veritas est; et defendam eam coram omnibus viventibus.

*secundum Psalmistam*. Ps. VII: 17.

*quod libentius video*. Forte legendum est *videbo* vel *viderem*.

*quia in quantum* cet. Rom. XII: 18.

*demonstrabo vobis hoc auctoritatibus sanctorum, qui haec dicunt*. Gerardus Magnus auctoritatem sanctorum patrum quam maximam habebat, praecipue ad alios errorum convincendos. Scimus eum aliquando, quum in Hollandia concionaturus esset eoque trans mare iter faceret, libros suos secum habuisse in dolio (Rud. Dier de Muden in Dumb. Anal. I. p. 5). Interrogatus quid facerent omnes libri isti, quos haberet et secum tam longe ferret, respondit: „Quantum ad bonam vitam pauca sufficerent, sed ad instructionem aliorum et propter veritatis defensionem oportet nos haec omnia habere, ut qui forte mihi non credunt, auctoritatibus sanctorum acquiescant." (Chron. mont. S. Agn., p. 150).

*in solubilibus rationibus*. Sic codex. Lege *insolubilibus r.*, i. e. rationibus, quae solvi nequeunt, quibus contradicere nemo potest.

# EPISTOLA II.

## (Codicis XLVII. Folio 210r.—211r.)

In Codice huic epistolae superscriptum est: »Ad curatum Swollensem." Et recte quidem, ut ex ipsa et ex Chron. Wind. p. 15 apparet. Curatus ille s. pastor erat Reynerus, de quo vide p. 22.

Agit de magistro Johanne Cele, de fratre Bartholomaeo s. Bertholdo [1]), de quo etiam tres epistolae, quas post hanc sequi curavimus, et de muliere quadam in domo beguttarum.

Quod ad Johannem Gele, scholae Swollensis rectorem quondam celeberrimum et summo semper honore dignissimum, — de eo dicam, ubi ad epistolas, a Gerardo nostro ei missas, venerimus [2]). Hic satis erit notasse, tanti viri gloriam excitasse invidiam Regneri (Chron. Wind. p. 611). Inde discordia, quam sedare his suis literis Gerardus conatur, quarum initium etiam exhibetur in Chron. Wind. p. 610, 611.

De »muliere in domo beguttarum" quae dicere habebam, ad ipsum locum annotavi.

De fratre Bartholomaeo sermo est in Chron. Wind. p. 15—19, et (quod notatu dignum est) ita quidem, ut historiam ex epistolis nostris pro magna saltem parte conflatam esse appareat. Idem ejusdem historiae

---

[1]) Inspici possunt: Chron. Wind. p. 601—629, 467; Chron. mont. S. Agn. cap. 20. p. 171—175; Thom. a Kemp. Vita G. M. cap. 10; Johannes Gerardyn in opere *Archief* VIII. p. 362, 363; J. Busch in Leibnitii Script. Brunsvic., Hanov. 1710, II. p. 477; Delprat, *Verhandeling over de broederschap van G. Groote*, ed. 2a p. 35—37, 83, 88, 89, 263.

[2]) Discrimen inter Bartholomaei nomen et Bertholdi non multum valuisse apparet ex his quatuor epistolis. Nam qui in prima et in inscriptione quartae non nisi Bartholomaeus dicitur, in tertia non nisi Bertholdus audit; secunda autem utrumque nomen promiscue exhibet. In Chron. Wind. p. 15—19, 393, 395 semper vocatur Bartholomaeus. Fortasse per compendium consuetum nominari solebat *broeder Bart.*

conspectum dedit p. 398, quem, ut lectorem in ipsas res introducamus, lubet hic inserere.

»Cum igitur magister Gerardus plures in Campis ferventes faciens sermones corda plurimorum fidelium averteret ab iniquitate, eosque in viam vitae et veritatis inducens, ad patriae coelestis amorem vehementer inflammaret, frater quidam ordinis Eremitarum Sancti Augustini, novus Campensis et Swollensis terminarius, nomine Bartholomaeus, eidem palam resistere [1]) non formidavit. Quem magister Gerardus ad curiam Trajectensem citatum ut virum indoctum, infamem, criminosum, pseudo-praedicatorem, fidei devastatorem, et novissime ut haereticum convictum, obtinuit, eum ut talem judicialiter condemnari."

Hac opportunitate data, paulum disseramus de Gerardo Magno, haereticorum persecutore. In »Epistola magistri Wilhelmi de Salvavarilla, cantoris Parisiensis, ad papam Urbanum sextum ad impetrandum magistro Gerardo privilegium praedicandi" (Thom. a Kempis post Vitam G. M.; Codicis Ep. XIX, fol. 139 r.—140 r.) commendationis causa inter alia de eo dicitur: »factus est magnus haereticorum persecutor," et deinde: »vestra sanctitas eidem conferat auctoritatem praedicandi et contra haereticos inquirendi [2]) . . . in provincia Coloniensi vel saltem in praedicta dioecesi Trajectensi." Ipse de his Salvavarillae literis agens (Vid. infra Ep. VIII), etiam haec habet: »literae papae directae canunt et recommendant me . . . quod haereticos insequor et insecutus sum." In Publica sua protestatione (Vitae cap. 18; Codicis fol. 113), ubi de sana doctrina loquitur, statim addit: »quam ubique defendo." In Salvavarillae epistola de

1) Bartholomaeum certamen cum Gerardo ingressum esse et sermonibus ejus valde contraria publice praedicasse, idem Chron. Wind. testatur p. 15. Illud ex epistolis non patet; de hoc dubium esse nequit. Bartholomaei enim doctrina longe distabat a doctrina ecclesiae, quam Gerardus Magnus sequebatur, et a severitate morali, qua idem excellebat.

2) Attende ad haec verba. Petit Salvavarilla, ut papa Gerardum Magnum velit designare haereticae pravitatis inquisitorem in tota provincia archiepiscopatus Coloniensis, vel saltem in regione episcopatus Ultrajectini. Mox in peculiari excursu uberius agemus de inquisitione, quae tunc temporis non solum in Germania, sed etiam in patria nostra vigebat.

ejus obitu (Vitae cap. 17; Chron. mont. S. Agn. p. 151; Chron. Wind. p. 24; Codicis Ep. XX, fol. 140 r.—140 v.) dicitur fuisse »exemplar in opponendo se haereticis." Tandem in »Epistola ad episcopum Trajectensem pro magistro Gerardo Groot, quando erat ipsi interdictum ne publice praedicaret" (Thom. a Kemp. post Vitam G. M.) de ejus praedicatione haec leguntur: »Unde etiam quorundam haereticorum, secrete serpentium in terra, audacia compressa videtur." Imo, teste Joh. Clarisse (*Archief* VIII. p. 107, 273), in codice M. S. Trajectensi vocatur »magnus zelator castitatis et malleus haereticorum."

Ex quibus plus quam satis apparet, eum èt apud aequales habitum èt sibi ipsum visum esse haereticorum persecutorem. Fuit et esse voluit ecclesiae reformator, non quod ad res dogmaticas, sed quod ad vitam et mores laicorum, imo forte magis clericorum. Ecclesiae doctrinae numquam sese opposuit, sed contra semper eam secutus est eamque promulgavit et defendit. Quod ipse testatur in Publica sua protestatione (Vitae cap. 18, Cod. fol. 113) his verbis: »Ego Gerardus dictus Teutonice Groot, coram omnipotenti Deo, coram omnibus sanctis et coram vobis et omnibus hominibus protestor firmiter, me circa ea quae fidei sunt, in ipso summo lapide Jesu Christo fundamento, firmam, illibatam et catholicam fidem praedicasse et defendisse".... »Salvo semper judicio sacrosanctae Romanae ecclesiae, cui humillime undique et ubique me submitto." Quid mirum, eum hostiliter aggressum esse omnes, qui modo verbis suis profanis ecclesiae vel et ipsius Euangelii doctrinam risui tradebant, modo mysticorum placita perperam percepta pejusque applicata ita docebant, ut a vulgo capi neque intelligi possent, imo non ad morum emendationem sed depravationem tenderent, vel qui sua ipsi vita dissoluta omnibus omnium malorum erant exemplo? Tales id temporis erant, qui dicebantur liberi spiritus. Talis etiam erat Bartholomaeus.

Haec universe. Epistola nostra et tres sequentes, quae omnes de eodem Bartholomaeo agunt, ut et duae quas illis statim adjeci, quia arctissime cum iis cohaerent, scriptae sunt Florentio de Wevelinkhoven episcopo Ultrajectinam sedem obtinente, id est intra annum 1379, quo episcopus electus est, et annum 1384, quo diem obiit Gerardus. De singulis singulatim videbimus. Et jam primam moneo pro majori parte,

omissis nonnullis vel mutatis, editam esse a Joanne Busch in Chron. Wind. p. 15, 16, eamque esse scriptam, quum primum oriretur Bartholomaei dissensio.

## Ad curatum Swollensem.

Domine Reynere, amice in Christo carissime, rogo, legatione spero Dei fruens, pro nupta vestra, ecclesia Swollensi, ut cum magistro Johanne, membro ejus nobili licet tentato, pacem et concordiam habeatis. Non pascatis oves ab ecclesia ad tabernacula pastorum. Nullius obtentu ignobilioris membri abscindatis a vobis, capite, membrum tam fixum et stabile, cujus par non invenietis in multis millibus.

Ceterum significo vobis quod quidam frater, Bartholomaeus nomine, ordinis sancti Augustini, novus terminarius deputatus in Campis, fecit tres ser-

*ut cum magistro Johanne.* Chron. Wind. p. 611: *ut cum magistro Joanne Cele.*

*licet tentato.* Eum in tentationibus consolari conatus est Gerardus Magnus per epistolam Cod. LXII, quam inseruit J. Busch in Chron. Wind. p. 609.

*Non pascatis—pastorum.* Noli, pastor, magis invidia privata quam omnium ductus amore, oves tam utiles a grege sejungere et ipse in tentorio eas devorare.

*membrum tam fixum.* Male Chron. Wind.: *membrum transfixum.*

*ordinis sancti Augustini.* Bartholomaeus mox terminarius dicitur. Erat igitur ex fratribus mendicantibus, et quidem ex ea illorum familia, cui nomen Ordo Eremitarum S. Augustini. Qui ordo ab Alexandro IV papa A. D. 1256 e pluribus minoribus mendicantium ordinibus congregatus, regulae quae dicebatur S. Augustini erat addictus.

*novus terminarius.* „Terminarii apud ordines mendicantes dicuntur, qui habendis per agros cuique conventui addictos concionibus destinantur. Habent enim singuli ordinum istorum conventus descriptos circumjecti territorii pagos, intra quos duntaxat eleemosynas colligere liceat." Du Cange, i. v. Termini autem descripti erant vel a praepositis eorum, vel a clero, vel a magistratu, vel ab his omnibus. W. Moll, *Joh. Brugman*, I. p. 102.

mones vel quatuor, de quibus mihi scriptum est, quod multum accedunt et procedunt secundum modum Gerbrandi et illius haeretici pellificis et liberorum spirituum. Imo saepius nominat et exaltat liberos spiritus

*secundum modum Gerbrandi.* Frustra quaesivi ut invenirem, quis fuerit quidque docuerit Gerbrandus ille.

*illius haeretici pellificis.* Videtur fuisse homo de vulgo. *Pellifex* enim dicitur, qui pelles parat, praeparat, vendit. Non differt a voce *pelliparius.* Utraque respondet Latinorum vocabulo *pellio.*

*et liberorum spirituum.* Facilius est de secta illa haeretica longum facere excursum, quam brevem scribere annotationem. Nec nostri est argumenti, uberius de ea dicere. Inspiciantur C. Schmidt in opere *Real-Encyklopädie von* Herzog, II. p. 398—400, et Gieseler, *Lehrb. der Kirchengesch.*, ed. 4a, T. II. P. 2. p. 642—647, quique ab iis allegantur scriptores. In hac re summus adhuc est propter plurima, quae ex antiquis documentis primus in lucem edidit, Mosheim in opere suo: de Beghardis et Beguinabus commentarius, Lips. 1790. Fratres enim et sorores liberi spiritus jam inde a medio seculo XIII (ante annum 1261; Mosheim l. l. p. 199) in Beghardorum et Beguinarum piam familiam irrepserunt eamque secum vehementi persecutioni tradiderunt (Mosheim, l. l. p. 245—250), ita quidem ut decreta contra Beghardos et Beguinas edita non spectent eos, qui proprie ita dicuntur, sed liberos spiritus, qui a vulgo eorum saepe nomine indicabantur. Erant hi late per Germaniam, Helvetiam, Italiam, Galliam, Belgicam dispersi. In doctrina erant mystici incultissimi, pantheistae rudissimi; in vita homines dissoluti, libidinosi, nulli non naturae instinctui obtemperantes. De moribus eorum legatur: Willelmi Chronicon monachi Egmondani in Ant. Matthaei veteris aevi Analectis, Hagae 1738, II p. 643, 644 De placitis eorum nonnulla mox afferam, e quibus patebit Bartholomaeum revera cum eis fecisse. Eos autem in nostris quoque regionibus fuisse, praeter alia documenta epistola nostra docet. Non possum quin valde commendem lectionem eorum, quae de liberis spiritibus in urbe Bruxellis scripsit Eward van Even in opere *de Katholiek*, Mei 1854, quibus hic est titulus: Bloemardine, *eene Vlaemsche hervormster uit de XIVe eeuw.* Secta, cui anno circiter 1307 praeerat Bloemardine, et quae ejus nomine appellabatur, circa annum 1410 novas acquisivit vires et deinde dicebatur secta hominum intelligentiae. Johannes Ruysbroec, celeberrimus prior monasterii in Viridi Valle prope Bruxellas, quum etiam tum in ipsa urbe esset capellanus ecclesiae S. Gudulae, sapienter et fortiter Bloemardinis sese opposuit (conf. Mosheim, l. l. p. 305—312). Nec in hac quoque re ei impar erat Gerardus, Bartholomaeum aliosque impugnans.

cum illo nomine, et contra poenitentiam dicitur quod praedicat, et vadit ultra omnia intelligibilia et imaginabilia, et utitur verbis profanis multis et erroribus, ut

*contra poenitentiam dicitur quod praedicat.* Ecce liberorum spirituum hac in re doctrinam: »Bonus homo debet conformare voluntatem suam voluntati Dei in omnibus, ut ipse velit Deo conformiter, quod ipse vult. Et quia Deus vult, me aliquo modo peccasse, ideo nollem ego, quod peccata non commisissem, et haec vera est poenitentia. Si homo commisisset mille peccata mortalia, si homo esset ad talia dispositus, non deberet se velle ea non commisisse." Haec desumta sunt e Constitutione Johannis papae XXII, anno 1330 edita, quam e Chronico Hermanni Coerneri, historici saeculi XIV, (Eccard, Corpus scriptor. medii aevi, T. II, p. 1035, 1036) expromsit Mosheim (l. l. p. 284—287). Addo e carmine vetustissimo, edito a von Arnswaldt (*Vier Schriften von Johann Rusbroek in Niederdeutscher Sprache*, Hann. 1848, p. XXXVII):

Wacht v voir vrie geste (*l.* geiste),
Dat is die nauste rait,
Si werken al oir eischen,
Al weert ok noch so quaet.
Consciencie halden sy voir spot
Ende sunde voir gene misdade.
Sus wanen sy toe krigen got.
Och woe sijn sy verraden!

*vadit ultra omnia intelligibilia et imaginabilia.* »Dicunt enim, credunt et tenent, quod Deus sit formaliter omne quod est. Item dicunt, quod homo possit sic uniri Deo, quod ipsius sit idem posse ac velle et operari quodcunque, quod est ipsius Dei. Item credunt, se esse Deum per naturam sine distinctione. Item, quod sint in eis omnes perfectiones divinae, ita quod dicunt, se esse aeternos et in aeternitate. Item dicunt, se omnia creasse, et plus creasse quam Deus" cet. Vid. Epistola Johannis, episcopi Argentinensis, quam Mosheim ab interitu servavit (l. l. p. 255—261) et ex qua scabiosus ille grex accuratissime cognosci potest.

*et utitur verbis profanis multis et erroribus.* Haec vel talia in mente potuit habere Gerardus: »Dicunt se credere, quod quilibet homo perfectus sit Christus per naturam. Item quod Christus non est passus pro nobis, sed pro se ipso. Item non exhibent reverentiam corpori Christi, avertendo se ab hostia consecrata, et blasphemando dicunt, quod sapiat eis sicut stercus in ore. Item dicunt se credere, quod aliquis homo possit transscendere meritum Christi.... Dicunt se credere, ecclesiam catholicam sive Christianitatem fatuam esse, vel fatuitatem.... Item, quod sacerdos, postquam exuit se sacris vestibus, est sicut saccus evacuatus frumento.... Contra Euangelia dicunt, se credere, multa ibi esse poetica, quae non sunt vera. Item quod magis homines debent credere humanis conceptibus, qui procedunt ex corde, quam doctrinae Euangeli-

dicitur. Et ipsemet dicit, quod non facit ea; et intrat tabernas, et captat amicitias majorum, et neminem incul-

cae. Item dicunt, aliquos ex eis posse meliores libros reparare omnibus libris catholicae fidei, si fuerint destructi" et multa alia. Vid. Epistola Johannis episcopi jam laudata (p. 256—258 passim).

*Et ipsemet dicit, quod non facit ea.* „Item [dicunt], quod homo perfectionis debet esse liber ab omni virtute, ab omni actione virtutis, a Christo, ab ejus passione cogitanda, et a Deo.... Item quod quidam ex eis adeo sunt perfecti, ut non possint deficere, nec proficere in sanctitate. Item, quod perfectus homo non indigeat in hac vita virtutibus theologicis, sicut fide, spe et caritate." Vid. eadem Epist. l. l. p. 257, 258. Anno 1356 Spirae in rogo animam efflavit celeber quidam Beghardorum liberi spiritus doctor, nomine Bertholdus, in cujus erroribus etiam hic erat, „quod homo, vita mortali adhuc passibilis et corruptibilis, ad tantam spiritualis vitae perfectionem possit pervenire, quod ei postea neque orare, neque jejunare sit amplius necessarium, et nihil deinceps sit ei peccatum." (Mosheim, l. l. p. 328).

*et intrat tabernas.* „Si homo esset ad talia dispositus, non deberet se velle ea non commisisse." Vide supra laudata. „Item [dicunt], quod sunt impeccabiles, unde quemcunque actum peccati faciunt sine peccato ... Item, quod homo magis tenetur sequi instinctum interiorem, quam veritatem Euangelii, quod cottidie praedicatur." Vid. Epist. Johannis episcopi (l. l. p. 256, 258).

*et captat amicitias majorum.* Hoc non bene congruit cum moribus liberorum spirituum consuetis, qui statuebant Deum honorari in illis hominibus, „qui non intendunt res, nec honores, nec utilitatem ... sed omnibus his renuntiaverunt." Vid. Constitut. papae, l. l. p. 285. Convenit autem hac in re picturae, quam de iis dedit Alvarus Pelagius in opere: De planctu ecclesiae (anno 1332), et quae pro parte legi potest apud Mosheim l. l. p. 287—293: „Paupertatem servare videntur. Abstinentiis se macerant, sed ventrem replent.... Eorum etiam aliqui in civitatibus et villis, alii prope habitant, et a secularibus de die in diem convivia recipiunt sub specie charitatis, commatres et compatres sibi faciunt."

*et neminem inculpat.* Recte; nam motus omnes et instinctus animi divinos habebant, quia ipsa anima iis erat portio Dei. Inde etiam negabant infernum esse et purgatorium. „Dicunt se credere, quod judicium extremum non sit futurum, sed quod tunc est judicium hominis solum, cum moritur. Item, quod non est infernus, nec purgatorium.... Item, quod nullus damnabitur, nec Judaeus, nec Saracenus, quia, mortuo corpore, spiritus redibit ad Dominum." Vid. Epistola episcopi l. l. p. 257, 258.

pat. Nihil est periculosius, quam praedicare illa altissima et non docere viam ad illa, quia beatus Dionysius in Mystica illa Theologia, illa docens, jubet caveri et abscondi ab impuris, et janua haeresis est, velle contemplari altissima Dei sine purgatione praecedente. Etiam ut dicit: bonus et perfectus vir, ut audio, non debet intrare eremum; et quod vita eremitarum non est perfecta; et quod Christus non est conversatus in eremo; et quidquid Deus est per naturam, hoc nos efficimur per gratiam; et quod paulativa debet esse poenitentia; et quod vita perfecti hominis debet fundari super puro nihilo, et similia. Hic

*Nihil est periculosius.* Chron. Wind.: *Nihil perniciosius.* Idem mox sequentia suo marte mutavit.

*quia beatus Dionysius in Mystica illa Theologia.* Dionysii Areopagitae de Mystica Theologia § 2 (Opera, Antv. 1634, II. p. 2).

*Etiam ut dicit* cet. Verba corrupta videntur. Chron. Wind. medelae esse nequit. Forte legendum est: *Etiam, ut audio, dicit* [*quod*] *bonus et perfectus vir non debet* cet.

*bonus et perfectus vir non debet intrare eremum.* Alium locum huic similem afferre non possum, sed unusquisque facile intelliget, liberos spiritus idem docuisse.

*et quidquid Deus est per naturam, hoc nos efficimur ger gratiam.* Nec per gratiam quidem! Erravit aut Bartholomaeus aut bonus Gerardus. »Item credunt, se esse Deum per naturam sine distinctione.... Dicunt se credere, quod quilibet homo perfectus sit Christus per naturam." Vid. quae jam laudavi.

*et quod paulativa debet esse poenitentia.* Vel potius nulla.

*et quod vita perfecti hominis debet fundari super puro nihilo.* Huc quodammodo afferri potest id, quod habet Constitutio papae l. l. p. 286: »[Docent], quod omnes creaturae sunt unum pure nihil." At alia est res. Mystici docere solebant (ne vocum barbaries animum irritet lectoris) sui ipsius annihilationem, evacuationem, abstractionem. Nihil esse volebant nisi in Deo, cui totos se tradere, quem nude adspicere, in quem penitus descendere, in quo tranquille quiescere, summam existimabant salutem. En, haec est Henrici Mandii in patria nostra, haec Johannis Tauleri, Henrici Susonis, Johannis Ruysbroekii doctrina. Quam nemo doctius et clarius exposuit quam V. Cl. C. Schmidt in libro suo *Études sur le mysticisme Allemand au XIVe siècle* (*Mémoires de l'Académie royale des sciences morales et politiques*, Paris 1847, II. p. 225—502). Neque tamen ausim statuere,

timeo quod sit lupus; praemunio, ut videatis eum venientem. Religiosi nullum habent privilegium praedicandi, nisi quando voluerit eos curatus admittere; sic quod potest eos admittere vel non. Sic mihi videtur quod dicunt doctores juris. Et si vultis eum admittere, faciatis secum ut praedicet secundum Prophetam populo peccata sua et crimina et viam ad coelum, scilicet Christum, et exponat euangelium unum secundum aliquem doctorum, et dimittat illa incapabilia et profana. Augustinenses Dordracenses habent famam, quod sunt haere-

Bartholomaeum hanc subtilem sententiam rite intellexisse. Deërat ei animi gravitas. Egregie C. Schmidt l. l. p. 327: »*La liberté spirituelle, qui chez maître Eckart n'était autre chose que la plus grande pureté du coeur, a servi de prétexte aux Béghards pour justifier une licence de moeurs sans frein.*"

*Hic timeo quod sit lupus.* Forte legendum est: *hinc*. Porro conf. Joh. X: 12, Act. XX: 29.

*Religiosi.* Vox *religio* medio aevo significabat aut ordinem monachorum s. monialium, aut vitam eorum et mores, huic ordini respondentes. Omnes ordini cuilibet adstricti dicebantur *religiosi*. Vid. W. Moll, *Joh. Brugman* I, p. 5, 48; conf. Du Cange i. v.

*Religiosi — admittere* Regnerus igitur, pastor Swollensis, Bartholomaeum praedicantem poterat admittere vel non admittere, quia erat ordini Eremitarum S. Augustini addictus. De hac pastorum potestate etiam sermo est in »Epistola ad episc. Traject. pro mag. Gerardo Groot cet." (Thom. a Kemp. post Vitam G. M.). Ubi haec: »Et si sibi specialis licentia denegatur, hoc saltem petit, ut parochialibus curatis non inhibeatur, quin ipsum possint, si velint, admittere; qui, secundum consuetudinem civitatis et dioecesis Trajectensis, quos voluerint praedicatores, maxime veros et bonos, sine licentia vestra semper admittere consueverunt."

*faciatis secum ut.* i. e. persuadeas ei; eo adsentiente efficias ut. Ex iis quae sequuntur intelligitur, quid ipse Gerardus in praedicatione summum et utilissimum habuerit, quid procul ab ea esse voluerit.

*euangelium unum.* i. e. euangeliorum pericoparum unam.

*incapabilia.* Chron. Wind.: *incapacibilia*.

*Augustinenses Dordracenses* cet. Omittitur haec periodus et sequens in Chron. Wind. — Bartholomaeus ex eorum numero erat; dicitur etiam in epistola hanc sequente: Bartholomaeus de Dordraco.

tici inter illos. Sic audivi a multis annis in Trajecto et in Hollandia. Et ego vellem eum secrete audire et cum notario, quando vellet vobiscum praedicare. Et tunc

*a multis annis*. An forte legendum: *a multis amicis?*

*Et ego vellem eum secrete audire et cum notario*. Chron. Wind.: *cum notario et testibus*. — Non hujus loci est, munus describere, quo notarii fungebantur in antiqua ecclesia. Hac de re inspiciantur Bingham (Origines s. antiquitt. ecclesiastt., Halae 1724, II. p. 75—77), Binterim (*Denkwürdigkeiten der Christ-Kathol. Kirche*, Mainz 1825, I. 2. p. 48—55), Augusti (*Handb. der Christl. Archäologie*, Leipz. 1836, I. p. 279—281), W. Moll (*Kerkelijk leven der Christ. ged. de zes eerste eeuwen*, 2e dr., Leyden 1855, I. p. 246—248, 298), alii. Quale variis temporibus ministerium fuerit eorum, exposuit Thomassinus (Vetus et nova ecclesiae disciplina, Lugd. 1706, I. p. 557—569). Quod ad medium aevum, conferri potest Du Cange, i. v. — Tempore, de quo nos agimus, clerici (summus pontifex, episcopi, abbates) et principes (imperatores, reges, comites) suos habebant notarios seu scribas, qui mandata eorum privata vel acta publica exarabant. Quod saepe notis compendiariis faciebant. Quum ars scribendi paucis tantum praeter clericos nota esset, homines privati, mercatores, alii, ad pacta sua conscribenda, utebantur notariis clericorum, quibus venia haec expresse ab episcopo data erat. Hi dicebantur notarii publici. Quum autem »ex eo, quod plerique rudes et ignari, per se protocolla facere nesciebant, et alii notarios publicos se mentiebantur, plurima incommoda et pericula" orirentur, synodus Pragensis anno 1355 excommunicavit omnes, qui pro notariis publicis sese gerebant, antequam fidem fecissent sibi hoc munus fuisse mandatum. Concilium Tridentinum notarios omnes examini episcoporum subjecit. (Ipsa conciliorum hac de re decreta attulit Binterim, l. l. p. 57, 55). — His viris, quum in scribendo essent veloces, ea autem quae scripserant in judicio valebant, frequenter utebantur haereticae pravitatis inquisitores, quibus interdum dabatur potestas, notarios publicos sibi creandi. Exemplum habes apud Mosheim, l. l. p. 367. Horum notariorum seu tabellionum munus melius cognosci nequit quam e jurejurando, quod, jubente Carolo IV imperatore, dare debebant. Hoc jusjurandum cum tota lege, cujus pars est, ab interitu vindicatum est a Mosheim, l. l. p. 373, 374: »Ego N. promitto et juro, quod fidelis ero Serenissimo Principi et Domino, Domino Karolo quarto, divina favente clementia Romanorum Imperatori semper Augusto, et Boemiae Regi illustri, Domino meo gratioso, et omnibus successoribus ejus Romanis Imperatoribus et Regibus legitime intrantibus; neque umquam ero in consilio, ubi periculum eorum tractatur; bonum et salutem eorum promovebo; damna eorum pro mea pos-

non deberetis sibi interdicere, sed mihi demandare ut secrete venirem, et sic furtive caperemus eum in verbis erroneis, et excluderemus eum a praedicatione, ut non gloriaretur diabolus per eum.

Velitis mihi rescribere, et de illa muliere in domo

sibilitate avertam fideliter; literas et Acta sancti officii Inquisitionis fideliter et diligenter conscribam, et officio praedicto fidelis ero; et Acta occulte servabo, donec de mandato Inquisitorum vel suorum officialium, sive alia exigente justitia, debeant publicari; et instrumenta alia seu tractatus alios quoscumque non scribam in papiro seu carta veteri aut abrasa, sed in membrana munda et nova; testamenta, codicillos et quascunque ultimas voluntates, nec non dicta testium conscribam fideliter, et ea occulte servabo, nulliqne pandam, donec debeant aut mandato judicis, sive alia exigente justitia, publicari; causas miserabilium personarum, nec non pontes, hospitalia, emendationem viarum publicarum, omni tempore promovebo, et officium meum exercebo fideliter, non attendendo munera, odium vel amorem. Sic me Deus adjuvet et sancta Dei Euangelia!" — Ut ad Gerardum redeamus, huic annotationi satis longe productae, e Chron. Wind. p. 3 haec addo: »Assumpsit autem [Gerardus Magnus] in principio [quum praedicare coepisset] notarium et testes secum, si forsitan contradicentem seu impedire volentem quempiam pateretur, quatenus suum super hoc notarium in continenti posset requirere et talem juridice adstatim accusare, demumque convictum dignum animadversione refellere; quemadmodum diversis in locis aliquando sibi accidisse, certa relatione compertum habemus."

*ut secrete venirem, et sic furtive caperemus eum.* Nisi e Salvavarillae literis pateret, Gerardum a summo pontifice haereticae pravitatis non creatum fuisse inquisitorem, fere eum fuisse putares. At ardenter profecto inquisitoris partes agebat, »ne gloriaretur diabolus."

*in domo beguttarum.* Beguttae eaedem sunt ac Beguinae. Illud nomen in Germania et in patria nostra, hoc vero in Gallia magis in usu erat (Mosheim, l. l. p. 10, 166). — Conventum Beguttarum Swollensium circa annum 1370 conditum esse putat van Hattum (*Gesch. der stad Zwolle*, 1767, I. p. 191). De eo agunt van Heussen, Hist. episcopatus Daventr. p. 141, et van Rhijn, *Kerk. hist. en outh.* V. p. 629, qui exhibent leges, Beguinis illis praescriptas. Tempore Gerardi Magni mores earum valde erant corrupti. Sed Henricus Foppens de Gouda, a Gerardo Swollas missus, ut in fide firmaret quoscunque ipse Gerardus ibi ad Christum duxerat, effecit ut conventus, tunc unicus in urbe, reformaretur. Quod sorores aegre ferentes locum reliquerunt. »Sicque expurgato veteri fer-

beguttarum sic ordinare ut exiret et recederet, ne aliae ab injustis et ejus importunitate atque ejus moribus maculentur.

Valete in Christo cum sponsa sua, Swollensi ecclesia, et in sponsa sua, sicut vivax caput militans pro ea in terris, ut triumphum habere mereamini in coelis, uniens et conjungens amicitia et pace unienda et conjungenda, et recto zelo repellens repellenda. Et rescribatis quid vobis melius videatur de viis praedictis.

mento fit nova conspersio per statuta salutaria." Jam satis apparet, nostram epistolam scriptam esse, quum conventus nondum esset purgatus. Sed nescio quo anno hoc factum sit. Quod si scirem, epistolae annum fortasse satis accurate possem indicare.

*ut exiret et recederet.* Sic Codex. Ne irascatur „genus irritabile" grammaticorum!

---

## EPISTOLA III.

### (Codicis XXII. Folio 141 v.—142 v.)

Nonnulla eorum quae ad hanc epistolam pertinent, jam dicta sunt ad secundam. In ceteris Chron. Wind. sequamur, ex quo, quia liber vere rarissimus, res autem ad Gerardum cognoscendum aptissima est, liceat haec describere: „Cumque dictus frater Bartholomaeus de Dordraco multa verba erronea, haeretica et profana, doctrinae euangelicae et apostolicae contraria, publice praedicare non cessaret, M. Gerardus Magnus, zelo Dei accensus, ad curiam Trajectensem eum citari procuravit, suis ibidem objectionibus in termino sibi praefixo responsurus. Qui in dicto termino personaliter comparens, cuncta sibi paene imposita et objecta, de quibus etiam sufficiens erat testimonium, per juramentum requisitus, se umquam prae-

dicasse negavit. Unde domini Trajectensis in spiritualibus vicarius de consilio jurisperitorum decrevit et pronuntiavit, quod dictus frater Bartholomaeus propria in persona in Campis et Swollis ambonem conscendens, omnia et singula sibi objecta publice reclamaret, dicens illa se non dixisse, ulteriorem horum inquisitionem episcopo Trajectensi, domino Florentio, plenarie reservando [1]). Super quibus magister Gerardus valde male contentus eidem Trajectensi episcopo, principi, cleri et populi [2]), frequentibus epistolis hujuscemodi negotium, fidem concernens catholicam, innotescere curavit" (p. 16, 17). Sequuntur plura, quae nostrae epistolae memoriam revocant, nonnulla etiam quae ex epistola proxime sequente desumta sunt.

Mirum videtur, hic sermonem esse de frequentibus epistolis, non autem nisi hanc unam (nam epistolam quartam non ad Florentium fuisse scriptam, mox videbimus) ad nos pervenisse, et ipsum Chronici auctorem hac sola usum fuisse. Unde valde dubito, an recte monuerit. Fieri tamen potest, ut Gerardus plures de Bartholomaeo ad episcopum scripserit epistolas, quae non divulgatae vel non reservatae nobis sunt.

## Ad episcopum Florentium de Bartholomaeo.

Metuendissime pater princepsque cleri et populi in his temporibus periculosis et ultimis. Vestra velit scire

*Ad episcopum Florentium.* Florentius de Wevelichoven s. Wevelinchoven, epicopus Ultrajectinus quinquagesimus, antea canonicus Coloniensis, deinde episcopus Monasteriensis fuerat. Episcopatui Ultrajectensi praefuit inde ab anno 1379 u. a. annum 1393. Vir fuisse dicitur „omni probitate conspicuus; prudentia, fortitudine animi ac literis juxta praeditus"; „nulli superiorum antistitum pietate aut alio virtutis genere secundus." Tantus erat ardor ei precandi, ut velut insanus a quibusdam increparetur. Quibus respondit: Quid vobis insanire videor, si, quum oves multas habeam, multum orem? In schismate, anno 1378 inter Urbanum VI et Clementem VII exorto, Urbani partes secutus est. Addo, quia ab argumento nostro haud alienum videtur,

[1]) Legendum puto *reservante*. Vide epistolam.

[2]) Conf. epistolae nostrae initium.

dignatio, quod Bartholomaeus de Dordraco ad examen vestri vicarii, quod valde tumultuose et, ut mihi visum est, non servata debita in tanto negotio gravitate agebatur, omnia sibi imposita et proposita, etiam illa de quibus est sufficiens extra Campen in Swollis et in

eum, teste Wilhelmo Heda (Hist. episcoporum Ultrajectensium, p. 259), jussisse "exhumari ossa cujusdam haeretici Matthaei Lollaert [i. e. Lolhardorum erroribus impliciti], atque ante atrium pontificale comburi, cineresque in fossas urbis dispergi." Quam strenuus et severus fuerit, patet ex degradatione fratris cujusdam Ordinis Minorum, de qua vide Gisb. Lappii Appendicem ad Chron. Bekae p. 130 et Matthaei Analecta, ed. 2a, 1738, III. p. 287—290. — De Florentio agunt: Chronica Joa. de Beka (qui eo antistite vixit), Ultraj. 1643, p. 121; conf. Matthaei Anal. III. p. 278—291.; Appendix Gisb. Lappii, p. 125—131; Appendix Suffridi Petri, p. 148, 149; Hist. episcop. Ultraj. auct. Wilhelm. Heda, Ultraj. 1642, p. 259—265; Chron. Wind. p. 164 et passim; Chron. mont. S. Agn. p. 146, 156; van Heussen, Batavia sacra, p 202—204; Hist. episc. Ultraj., l. p. 24; van Rhijn, *Kerk. hist. en outh.* I. p. 278—280.

*ad examen vestri vicarii.* De munere vicariorum egerunt Thomassinus (Vetus et nova ecclesiae disciplina, Lugd. 1706, I. p. 230-240) et Binterim (*Denkwürdigk.*, Mainz 1825, I. 2. p. 415—430, I. 1. p. 410, 411). Conferri potest Du Cange i. v. — Dicebantur vicarii, quia vicem gerebant episcoporum. Episcopi enim, quum officia vires eorum excederent, sacerdotis vel diaconi auxilio uti solebant, cui nomen vicarius generalis. Erant hi episcoporum, quorum fuerant ministri, plerumque successores. At quod uni delatum fuerat, seculo XIII et XIV magis magisque duobus tradi coeptum est, vicario dico generali et officiali. Quorum hic praeter alia, quae certis limitibus circumscribi vix possint, jurisdictioni praeerat civili, ille spirituali. Unde effici licet, judicium haereticorum fuisse penes vicarium generalem. — Sed et alio sensu nomen vicarii generalis adhiberi solebat, nempe de eo qui, ubi episcopus quopiam profectus vel mortuus erat, sedem vacantem tenebat. Episcopo mortuo a clero creabatur, Ultrajecti a quinque collegiis. Haec duo genera minus accurate permiscuit van Heussen in serie nonnullorum vicariorum generalium ecclesiae Trajectensis, quam exhibuit in libro: Batavia Sacra, p. 16, 17 (conf. van Rhijn, I. p. XXXIII), ex qua non patet quis fuerit vicarius, de quo in epistola sermo est. — De vicariis Trajectinis, de officio eorum et de jurejurando quod dare debebant, dignissimus est qui legatur Ant. Matthaeus, Analect. V. p. 412, 413; conf. p. 372—378.

Woudrichem testimonium, per juramentum requisitus praedicasse negavit; qua negatione facta, dominus vicarius cum mendicantibus et aliis suis adhibitis decrevit, ut praedictus Bertholdus singula negata in propria persona in Campen et Swollis villis se negasse et non dixisse publicaret. Si ulterior inquisitio et probatio fieri debeat, vestra paternitas reservavit. Unde ad augmentum fidei et sanctae ecclesiae constructionem mea praesumit et omnino sperat conscientia, ut vestra paternitas in his rebus velit pastoraliter vigilare et inquisitionem ulteriorem, quam res exigit, non postponere. Quod in Christo, qui habitat per fidem in vobis, fideliter et humillime et intimis fletibus supplico. Sed hoc pro firmissimo mihi mens in Christo conclusit et firmavit, ut vestra pietas nec precibus nec pretio nec quibuscunque instigantibus aut moventibus possit ad hoc moveri vel deduci, ut talem indoctam vulpeculam, mendacem et multiformi turpitudine difformem bestiam, et vere de haeresi suspectissimam, de cetero admittatis. Doceat unctio sancta dignationem vestram dolorosis matris ecclesiae mederi visceribus, quibus indissolubili vinculo Spiritus omnes, qui in Christo sumus, suavissime colliguntur. In quibus vos secundum Dei Spiritum quantum opto jungi et vinciri, non potest

*cum mendicantibus.* Fratres mendicantes Gerardo Magno fortiter resistebant, qui et ipse antea, Daventriae in suggestum ascendens, publice eos reprehenderat. (Chron. Wind. p. 10, 11). Videntur vicarium episcopi adhortati esse, ut de Bartholomaeo quam levissime statueret. Fortasse et inde est, quod examen vicarii „valde tumultuose et... non servata debita in tanto negotio gravitate agebatur."

*in Campen et Swollis villis. Villa,* Gallorum *ville*, dicebatur civitas, urbs. Vid. Du Cange i. v. Conf. Matthaei Anal. III. p. 503.

charta exprimere. Sed valete valenter in hac peregrinatione èt brevissima èt pessima, Christi vicarius, ovium pastor, et speculator contra inimicorum insidias.

---

## EPISTOLA IV.

### (Codicis XXIII. Folio 142 v.—143 r.)

In Codice hae literae sequuntur epistolam, quam etiam nos eis praemisimus. Inscriptio igitur, quam ferunt: »Ad eundem de eodem," docet eas scriptas esse »ad episcopum Florentium de Bartholomaeo." Sed an recte, jure in dubium potest vocari duplicem ob causam. Nam in epistola ad Florentium scriptor episcopum sic alloquitur: »Metuendissime pater princepeque cleri et populi;" in nostra autem legimus: »Potens domine." In illa ad ipsum episcopum sermo est; in hac ad alium de eo.

Quodsi igitur Florentio sit abjudicanda, quaestio in promtu est, cuinam adjudicari debeat. Et jam prae ceteris in mentem venit vicarii generalis episcopi, qui ipse judicio praefuerat. Quod huic sententiae obstet, nihil invenî; imo genus dicendi frigidulum et breve, quamquam dignitate plenum, ei favent.

At silentio praeterire nolo, Joannem Busch hanc epistolam aeque ac tertiam ad Florentium missam putavisse. Ex utraque enim sumsit ea, quae Gerardum Magnum episcopo scripsisse narrat (Chron. Wind. p. 17). Unde apparet errorem, quem adesse pro certo habeo, jam pridem exstitisse.

De tempore observandum est, utramque epistolam, me saltem judice, eadem occasione, eodem forte die scriptam fuisse. Habet enim nonnullas voces easdem vel unisonas, quae solent esse in scriptis ab uno homine de eadem re eodem tempore confectis.

Ad eundem de eodem [leg. Ad Florentii episcopi vicarium de Bartholomaeo].

Potens domine, scire dignemini quod haereses jam multae et secretissimae serpunt. Unde necessarium est valde statui ecclesiae sanctae et fidei sincerissimae, ut strictior inquisitio fiat. Et si frater Bertholdus, homo indoctus et aptus vastator fidei, sic evaserit, haeretici cornua erigent et alte se levabunt; et sequentur tanta mala, in quibus summus ut credo pontifex dissimulare non potest. Et Deus scit quam libenter vellem, ut etiam omnino spero dominus noster episcopus velit, baculum pastoralem contra malos erigere. Et vere si praedicaverit deinceps Bertholdus in dioecesi Trajectensi, tanta abominatio sequetur, ut timeo de quibus fama volet longius. Unde obnixius vobis, ut Christo fideli, supplico votis quibus possum, ut fidem et sanam doctrinam juvare dignemini; etiam ut ipse Bertholdus, qui est infamis, criminosus et pseudopraedicator, suspectus de haeresi, et multa habet, de quibus si unum haberet, res exigeret eum depelli a praedicatione, removeatur et separetur, et ut dominus alicui trans Iselam, qui ulterius accipiat contra praedictum Bertholdum testimonia, inquisitionem committat, ne fides devicta a pseudopropheta jaceat, ne laicorum insania clerum quasi depressum superet, ne id quod tentaverunt contra

*Bertholdus.* Vide p. 24.

*dissimulare.* i. e. quae ipse papa silentio praeterire non potest; quibus immiscere se debet.

*et multa habet.* i. e. *et qui multa habet.*

*et ut dominus.* i. e. episcopus.

ecclesiasticam censuram et ecclesiae libertatem, impune recedat in totius ecclesiasticae structurae non modicam ruinam et scandalum populi universi. Valete in fide et pro fide fidelis fideliter et fidenter.

---

## EPISTOLA V.

### (Codicis VII. Folio 122r.—122v.)

His literis, per se satis obscuris, lumen affert Chron. Wind. p. 18, narrans quid de Bartholomaeo factum sit. Quod, eo duce, paucis exponam.

Rebus e mandato episcopi diligentius exploratis, Bartholomaeus denuo ad curiam Trajectensem citatur. Qui verens ne Gerardus Magnus judicio adsit, diem statutum praevenit, comitantibus quibusdam consiliariis Campensibus. At Henricus de Wilsem, scabinus tunc Campensis et Gerardi amicus, huic Daventriae degenti nuntium mittit. Gerardus, „zelo Dei accensus," quum jam esset vespera, currum statim conscendit et iter tota nocte per decem milliaria faciens, mane venit Trajectum. Ecce ardorem ejus, ut haereticum persequatur! Jubente episcopo, reus ad judicium venit, Gerardo praesente. Qui dicta et acta Transiselanorum contra Bartholomaeum rite examinata in medium producens, ut de haeresi convictus juridice condemnaretur postulavit. Omnibus bene perpensis, tandem judex de jurisconsultorum consilio sententiam fert, Bartholomaeum haereticum esse, cujus rei indicium „forcipes duas de alterius coloris panno, unum ante, alium post se, in vestimento suo superiori publice sibi consui mandavit [1]."

---

[1]) Fateor mihi non perspicuum esse, quid forcipis signo indicetur. Haereticis, qui ad bonam frugem redierant erroresque suos ejuraverant, similes saepe poenae imponebantur. Alii vestem cruce aut binis etiam crucibus pictam, alii crucem ex collo in tergo pendentem gerere debebant. Ex-

Hinc laetitia elatus Gerardus confestim, ut videtur, nostram epistolam scripsit ad fratres Campenses. Nam eam non missam esse ad ipsum Bartholomaeum, ut inscripta est, nemo non videt. Monet eos, ut decretum episcopale contra fratrem B. (i. e. Bartholomaeum) editum, frequenter et ita ut ab omnibus intelligi possit, in ecclesiis promulgent, et de eo dominum W. (i. e. Wernerum Keynkamp, de quo mox diligentius agemus), certiorem faciant.

## Ad fratrem Bartholomaeum [leg. Ad fratres Campenses de Bartholomaeo].

Amici in Christo dilecti intuitu fidei sanctaeque apostolicae et euangelicae amore. Revocationem domini nostri Trajectensis: „Literarum praesentationis etc. fratris B.", luculenter et clare et intelligibiliter et frequenter in ecclesia majori Campensi et in alia, ut nullum lateat, ut undique pateat, velitis publicare et de hoc dominum W. informare, ut, sicubi tuba profana et erronea toti populo et maxime liberis spiritibus carnali libertate inso-

*sanctaeque apostolicae et euangelicae amore.* E locutione Gerardo satis consueta legendum arbitror: *et euangelicae doctrinae amore.*

*revocationem domini nostri Trajectensis.* Revocatio dici potest, quia antea aliter judicaverat episcopi vicarius.

„*Literarum — fratris B.*" Ita publicum decretum incepisse videtur. Forte pro *literarum praesentationis* legi debet: *literarum praesentium.*

*liberis spiritibus carnali libertate.* Ludit verbis.

---

emplum habes in Hermanni Coerneri, historici jam laudati Chronico ad annum 1402 (Vid. Mosheim, de Beghardis et Beguinabus p. 224, 228). Poena haec multo gravior erat quam putes, quippe quae publicam infamiam, omnium contumeliam, summam miseriam secum ferebat. Unde factum est ut quidam, cruce illa ignominiosa e collo pendente signatus, publice in terram eam projecerit pedibusque calcaverit, ut esset cur morti traderetur. Qui Lubecae igne combustus est (Mosheim, l. l. p. 229).

nuit, et ad devia et per devia obtusos spiritus et populares deduxit homo levis, infamatus et omnino indoctus, ita vos, vestris insinuationibus secundum Deum populum aemulantes, ab auditione mala a deviis ad viarum rectarum terminos, quos sancti patres nostros posuerunt, reducatis, facite ardenter cum affectu efficaciter.

Valete dilectissimi in dilecto, semper in memoria habentes malitiam et brevitatem praesentium, et ad futura tam beatissima quam aeternitate infinita vos extendentes. De quibus et in praesenti, non tamen secundum temporalia, sed secundum aeternitatis gustum aut praegustationem, quasdam micellas per sinceram fidem accepistis. Nam dicit Christus: Qui credit in me, habet vitam aeternam, et iterum: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum etc. Cognoscere Deum et credere in Deum, quae est vita aeterna, est habere vitam aeternam. Sed vitam aeternam habetis per fidem puram, sed abundantius per cognitionem. O si experiremur, si gustaremus et videremus, omnes vanitatis hydriae et vincula a nostra cervice caderent.

*sancti patres nostros posuerunt.* Mallem legere: *sancti patres nobis posuerunt*, vel *nostri posuerunt.*

*quasdam micellas.* Du Cange non recenset vocem *micella.* Procul dubio est eadem ac *micula,* deminut. vocis *mica.*

*Nam dicit Christus.* Joh. VI: 47.

*et iterum.* Joh. XVII: 3.

*quae est vita aeterna.* Forte legendum: *qui est* cet.

*per fidem puram; per cognitionem.* Respiciunt haec ad ea quae praecedunt: *credere in Deum* et *cognoscere Deum.*

*omnes vanitatis hydriae et vincula.* Hydriae et vincula imagines sunt ejus, quod moleste ferendum est. Sensus igitur hic est: Si vitam haberemus aeternam, omnibus quae nunc nos premunt vanitatibus immunes evaderemus.

# EXCURSUS.

## De haereticae pravitatis inquisitione, Gerardi Magni aetate et paulo post in patria nostra vigente.

Est apud nostrates vetus et late divulgata opinio, haereticae pravitatis inquisitionem in his regionibus ante Caroli V imperatoris tempora non fuisse, nisi quam interdum per inquisitores Parisienses vel Colonienses ipsi magistratus instituissent (P. C. Hooft, *Neederl. histoorien*, ad annum 1560). Ut omnes qui diu obtinent errores, hic etiam specie quadam veri nititur. Si premere velis illud Horatii, verba usu valere, nihil habeo quod objiciam; non fuit inquisitio. Nam fateor, primum fuisse Carolum, qui apud nos constituerit illud tribunal, quod saevitia in judicando, crudelitate in puniendo, nullum umquam superavit in orbe. Sed si magis attendas ad ipsius vocis vim, non ad sensum in historia ei datum, tunc mecum negare non potes, jam diu ante annum 1522 inquisitores etiam huc a pontificibus Romanis legatos fuisse atque munus suum explevisse.

Non meum est hanc materiem penitus tractare. Sed agens de Gerardo Magno, qui et ipse in haereticos inquisivit eosque graviter persecutus est, eam, quamvis leviter, saltem attingere, non a re alienum putavi. Qui historiam inquisitionis, in patria nostra et in Belgica factae, altius repetere velit, jam attendat ad persecutionem, quam circa annum 1236 in Flandria contra haereticos instituit Robertus quidam ordinis fratrum Praedicatorum, e Gregorii papae IX decreto inquisitoris munere fungens (Abrahami Bzovii Annales ecclesiastici, ad ann. 1236, N°. 18; Odorici Raynaldi Annales ecclesiastici, ad ann. 1238, N°. 60; *Chronyke van Vlaenderen van* 621 *tot* 1725; I. p. 335, 336). Quae persecutio ansam dedit his Jacobi Maerlantii versibus, quos ex opere nuperrime a viro doctissimo E. Verwijs in lucem edito: *Jacob van Maerlant's Wapene Martijn* (Dav. 1857, p. 7, coll. XIX) descripsi:

Brincstu onghelove voert?
God siet alle dinc ende hoert.
Wiltu den duvel maken?
Wie hevet dijn herte dus becoert,
Dattu helts aent lagher boert?
*Die papen selent smaken:*
*So wertstu verbrant of versmoert;*
*In gave om dine ziele niet een oert.*
Men mach met sulken saken
Gode niet ghenaken.

Sed missis ambagibus ad Gerardi Magni tempora veniamus!

Quum anno 1367 Urbanus papa V duos ex Dominicana familia fratres, Waltherum Kerling et Ludovicum de Caliga, qui haereticos exstirparent, in Germaniam ablegasset, Carolus IV, Germaniae imperator, variis edictis eos amplissima munere inquisitionis in regionibus suis fungendi potestate donasset, et Gregorius papa XI, qui anno 1370 Urbano successerat, novo decreto praecedentia auctoritate sua apostolica comprobasset et patrocinio suo communivisset, Beghardi et quos praeter eos haereticos habebat Germania, longe lateque vim eorum sunt experti (Mosheim, de Beghardis, p. 335—392). Quum autem fortissimi illi ecclesiae milites cum ceteris, qui adjutores iis fuerant dati et ministri, magnam Germaniae partem purgarent, ipsi haeretici, qui persecutioni eripere se poterant, alibi asylum sibi invenire conati sunt. Provincias, quas fugerunt, ex Gregorii XI epistolis, quae Romae servantur, enumeravit Raynaldus. Qui ad annum 1372 (N°. 34, p. 518) haec scripsit: »Mox impii, ad declinandam severitatem, in provincias, quas Rhenus alluit, tum Hollandiam, Brabantiam, ac ducatum Stetinensem, ubi altiores impietas radices fixerat, avolarunt." Idem jam ante eum monuerat Bzovius ad eundem annum (N°. 7, p. 1397) haec scribens: »Inter hos Italiae tumultus, in Germania plurimi Beghardorum et Fraticellorum ... pullulabant, jamque Magdenburgensibus et Bremensibus provinciis infectis, partes Rhenanas, Hollandiae et Brabantiae irruperant, universaque Pomerania peragrata, Stetinenses tentaverant."

Igitur de Hollandia quoque est sermo. Atque Raynaldum et Bzovium non perperam ita scripsisse apparet ex Gregorii mandato, anno 1372 edito et a Mosheim primum e schedis, ubi latebat, in lucem misso (l. l. p. 380—383); ubi in civitatum, dioecesium, provinciarumque, per quas munus

suum libere exerceant inquisitores, numero, non solum quae in permultis aliis paparum et imperatoris edictis indicatur provincia Coloniensis, sed etiam dioecesis Trajectensis, quae ejus pars erat, ipso nomine designatur. Omni igitur dubio vacat, hanc dioecesim certe obnoxiam fuisse persecutioni, eamque, si intacta manserit, fortuna secunda potius quam inquisitorum gratia usam fuisse.

Quae scripsi primum docere videntur, quinam fuerint haeretici in quibus persequendis Gerardus noster tam acriter versabatur. Fuerunt fratres liberi spiritus, qui communi Beghardorum nomine indicari solebant, tum qui pro majori forsitan parte ex aliis regionibus huc venerant, tum quos illi asseclas nimis dociles etiam hic nacti erant. Deinde lucem afferre possunt Salvavarillae ad Urbanum VI literis supra laudatis, quibus praeter alia petit, ut papa „auctoritatem contra haereticos inquirendi in provincia Coloniensi vel saltem in dioecesi Trajectensi" Gerardo velit mandare. Quam auctoritatem si ab Urbano ei fuisset tributa neque anno 1384 mors ei supervenisset, bonus Gerardus, tunc primum nimio forsitan jure „haereticorum malleolus" dictus, laudes, heu tristes laudes inde reportasset, quas in Germania consecuti sunt Conradus de Marburg[1]) (1214—1233), Waltherus Kerling (1367), Ludovicus de Caliga (1367), Johannes de Boland (1372), Martinus (1392), Eylhardus Schoneveld (1400).

De Eylhardo uberius est dicendum. Dubium enim esse nequit, eum in patria nostra diligentissimum haereticorum fuisse venatorem. Erat hic „Ordinis fratrum Praedicatorum professor, in sacra Theologia magister." Sic enim inveni in epistola, qua anno 1400 omnibus quarumcunque civitatum, urbium et locorum clericis et principibus eum commendavit Bonifacius IX; quam e codice ejusdem aetatis typis descriptam edidit Mosheim l. l. p. 225—228. Inquirebat Eylhardus imprimis Ultrajecti — in Gerardinos. Ecce mirabilis rerum commutatio! Nam qui, dum in vivis erat, alios persecutus erat, viginti annos postquam de vita decesserat in sectatoribus suis et amicis ipse oppressus est. De hac calamitate scripsit

---

1) Ex iis quae scripsit Joh. Wagenaar, *Vaderlandsche historie* II. p. 370, efficere quis posset, hoc haereticorum flagellum etiam apud nostrates saeviisse. Falso.

Rudolphus Dier de Muden (Dumbar, Analect. I. p. 29, 30): „Tunc temporis fuit magister Eylardus, inquisitor haereticae pravitatis, qui multum molestabat devotas sorores in Trajecto." Edidit Mosheim (l. l. p. 443—450) „extracta de actis inquisitionis per honorabilem sacrae Theologiae magistrum, fratrem Eylardum Schoeneveld... in Trajecto et locis circumjacentibus legitime factae." Dolendum omnino est, epitomes illius scriptorem plura promisisse quam protulisse, sed tamen ex illa quoque constat, inquisitionem Ultrajecti revera fuisse habitam.

Haec argumento meo in praesenti sufficere possent. Sed forte non sine quadam lectorum delectatione dictis addo literas, magistro Eylardo ab Alberto, Hollandiae comite, anno 1403 datas, quibus ei ut ubique etiam in suis regionibus in haereticos inquirat eosque correptos castiget Albertus concedit [1]). Debeo has literas liberalitati viri de historia patriae indaganda meritissimi, R. C. Bakhuizen van den Brink, Neêrlandiae archivarii, qui eas e documento originali mihi describi curavit.

„Aelbrecht etc. laten u weten allen onsen baenridzen, ridderen, knapen, bailiuwen, sconten, burgemeesteren, scepenen, rechteren ende amptluden, ende voirt allen prelaten, priesterscap ende anderen onsen ghemenen luden over al in onsen landen geseten binnen steden ende dair buten, dat die eerbare meester Eylaert Schonevelt van der predieaeren oirder, meester in der heiliger scrifture, bi ons gheweest is, ende heeft ons mit bullen ons heiligen vaders des Paeus van Romen wail onderwijst van commissie ende bevelinge, die die selve onse heilige vader die Paeus him ghedaen heeft, om te ondersoeken in alrehanden Duytsschen landen ende sunderlinge in den onsen, sulke ongelovighe lude als dair in wesen mochten, dats te weten die enige pointen hielden ofte starckeden die jegen den heilighen ende kersten geloven draghen mochten, ende oic alle die ghene die sulcken onghelovighen luden in hoire quaetheit mede aenhinghen, of die huysden, beschermeden of anders bistant deden, dat men hun mit wittachtigen ghetuge overtughen mochte om die selve lude te vanghen ende van hoire onghelove ende quaetheit te corrigeren, als dair toebehoirt. Ende want onse

---

[1]) Harum literarum jam fecit mentionem H. van Wijn, *Bijvoegsels en aanmerkingen op Wagenaar* VI. p. 11, 12.

meininge ymmer is dat heylige kerstenghelove te starcken in onsen landen, gelijck wij sculdig sijn te doen, ende die goede heren Keyzers, Coninghen ende anderen vorsten voirtijts gedaen hebben. Soe hebben wij den voorn. meester Eylaert Schonevelt ende sinen stedehouders, dien hij des machtighet ende beveelt, geconsenteert ende consenteren mit desen brieve, ondersoec te doen over al in onsen landen, van allen sulcdanighen onghelovighen luden ende horen aenhanghers, beschermers, huyshouers ende bistanders, ende die ghene die hi sculdich ende bruekich dair in vindt, mit wittachtighen ghetughen aen te tasten, te vangen ende te corrigieren als voirscr. is. Ende ombieden ende bevelen ende ghebieden u allen ende elken bisonder up onse hulde ende alles des ghi jegens ons verbueren mocht, dat ghi meester Eylaert of sinen stedehouders voirscr. dustanighe lude rustelic laet ondersoken ende corrigieren ende hun ghehulpich, vorderlic ende bistandich dair in sijt, ende oic die vanghenisse ende stocke in uwen bedrive hun daer toe opent ende doet, om die misdadige lude zeker dair in te wezen tot alre tijt als ghi dez van hun verzocht sult worden, ende voirt hunluden mit horen dieneren ende have beschermet ende gheleide doet van onsen wegen jegen enen ygheliken die hun deren wilde, want wij ze in onsen gheleide ende beschermenisse ghenomen hebben. Dit sal ghedueren tot onsen wederseghen. In oirconde ghegeven in den Hage upten zevenden dach in Januarij int jaer M vier hondert ende drie." (IV Memoriale. B. I. Cas R. 1401—1404. Folio 54 verso.)

---

## EPISTOLA VI.

### (Codicis XVII. Folio 136 v. — 137 v.)

Magistratus civesque Campenses, ignominiam Bartholomaeo illatam aegre ferentes ejusque auctorem Gerardum esse sentientes, quoscunque in urbe hic habebat amicos, alios opprobrio afficiebant, alios e civitate expellebant (Chron. Wind. p. 18, 393). Scabinos mulieres nonnullas, quae Bartholomaeum publice accusaverant, in judicium vocasse, ex epis-

tola nostra conjicio. Hac de re Wernerus Keynkamp de Lochem, scholae Campensis tunc rector, Gerardum cui firmissime adhaerebat (Conf. Rud. Dier de Muden in Dumb. Anal. I. p. 6) consuluisse videtur. Qui ei respondet, mulieres illas omnia potius mala pati debere, quam obtemperare decreto; fieri enim posse ut mulcta, Bartholomaeo solvenda, iis imponatur; quam si solvant, mendaces esse ipsae videbuntur, ille autem injuria mulctatus. Eodem modo ceteros oppressos, ut in re justa et sancta perseverent, monet. Haec harum literarum origo, hoc argumentum.

Joannes Busch, ubi in Chron. Wind. de Wernero agit, illas pro parte inseruit (p. 395, 396), sed valde indiligenter et sine debita cura. E Chronico transierunt in Jacobi Revii Daventriam illustratam (Lugd. Bat. 1651, p. 31).

## Ad Wernerum, clericum Trajectensem et postea electum et confirmatum priorem beatae virginis Mariae in Windesim, juxta oppidum Swollense.

Wernere in Christo dilecte et jam in fornace probationis pro Christo contra vulgus et insipientem et haereticum monachum. Mihi videtur firmiter quod mulieres non stent dictamini scabinorum. Nam in hoc si

*Ad Wernerum, clericum Trajectensem. Clerici* proprie nominantur omnes, qui ecclesiastico munere funguntur. Latiori sensu etiam monachi, vel qui literis imbuti erant et scholares hoc nomine utebantur (Vid. Du Cange i. v.). Eo, de quo nunc agimus tempore, Wernerus nondum erat clericus Trajectensis, sed inde ab anno 1387, quo Canonicorum regularium ordini sese addixit et mox monasterii Windesemensis in dioecesi Trajectensi prior factus est. Vid. quae annotavi post Epist VII, p. 57.

*Wernere... in fornace probationis.* Quid ipse Wernerus ex Bartholomaei et Gerardi dissensione passus sit, epistola proxima docebit. Mirum non videtur, jam tum dici potuisse eum valde vexari.

*contra... insipientem et haereticum monachum.* scil. Bartholomaeum. Chron. Wind., quod hanc praecipue epistolam negligenter et multis mutatis exhibet, aptius fortasse quam verius addit: *examinate.*

*Nam in hoc.* i. e. in hoc dictamine scabinorum, in hoc eorum judicio.

scabini, qui procul dubio sunt pro parte monachi, emendam monacho pronuntiarent, in hoc mulieres quasi mendaces essent inventae et Bartholdus quasi injuriam passus, et hoc pulchre sonaret pro eo in auribus totius terrae, et in hoc esset Bartholdus multum fortificatus. Imo et in Trajecto allegaret, quod mulieres illa confinxissent adversus eum, et in signum veritatis emendam sibi factam allegaret, et iterum viderentur timidae mulieres quasi non audentes in veritate persistere, item et scandalisarent omnes bonos. Mihi videtur quod potius debent omnia mala pati, quam sic a veritate recedere, vel veritatem judicibus odientibus veritatem committere,

*pro parte monachi.* i. e. Bartholomaeo faventes.

*emendam. Emenda* dicitur pecuniaria mulcta, compensatio damni. Differunt inter se *mulcta* et *emenda*. *Mulcta* enim judici, *emenda* parti laesae datur. Transiit vox *emenda* in Gallorum *amende*. Vid. Du Cange i. v.

*si scabini ... emendam monacho pronuntiarent.* i. e. si mulieribus illis mulctam, Bartholomaeo solvendam, imponerent.

*in hoc mulieres quasi mendaces essent inventae.* i. e. ipso hoc judicio pateret, mulieres falso Bartholomaeum accusasse, quippe quae a judicibus pecuniae ei solvendae damnarentur.

*Bartholdus.* Vide quae de Bartholdi et Bartholomaei nomine dixi p. 24.

*Imo et in Trajecto*, ubi damnatus erat.

*quod mulieres illa confinxissent.* i. e. eas non vere sed falso eum accusasse.

*judicibus odientibus veritatem.* Grave omnino de judicibus Campensibus judicium! Nec de magistratibus Daventriensibus melius censebat. Saepius enim dicebat, nullum eorum intra viginti annos mortuum in regnum coelorum venisse, sed ad infernum omnes descendisse. Interrogatus de patre, qui et ipse Daventriae fuerat scabinus, respondit: „pater meus, videns quosdam in honore et judicii potestate constitutos, amore, odio sive pecunia a vero declinare et in sinistram partem se flectere judicium-que pervertere, prudenter et caute inde se subtraxit, consulatus dignitatem, data pecunia ad id assignata, sponte resignando" (Joh. Busch, De reformatione monasteriorum, Lib. III, c. 39, in Leibnitii Script. Brunsvic., Han. 1710, II. p. 939).

vel quam sic scandalisent proximos, vel quam tale scandalum in tota terra ponant. Omnino est Deo gloriosius, imo triumphale, quod habet qui pro se stent contra scabinos, contra praesides et alios, et tales qui in tempore tentationis non recedunt a veritate. Instet periculum damni exteriorum bonorum; patiantur aequanimiter. Sic fecerunt sancti; probatio necessaria est eis; imo ideo magis probantur, quia aliis fortiores sunt, et praemia majora recipient. Non sunt condignae passiones hujus seculi ad futuram gloriam. Pati hoc momentaneum et minimum, pondus gloriae maximum in nobis operatur. Vilescunt terrena pericula, si consideraverimus praemia coelestia. Gaudeamus quod nos mundo aequaliter crucifixi sumus, seu quia mundum crucifigimus. Quid mirum? Èt magnum gaudium est, èt congruum gloriae nostrae est, quod et mundus vos crucifigit. Patiantur nostrae dilectae mulieres et Andreas et Hubertus quod dilectissimi et propinquissimi Domino pati consueverunt. Non timeant pugnam, sed nitantur ad coronam, quia nemo secundum Apostolum coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Causa vestra est legitima, est procul dubio sancta. Utinam in ea aliqui nostrum vel aliquae coronaremur! Stipula est, sed valde clamorosa et contumeliosa, habens latera aquilonis ipsam fulcientia, suo tempore

*Non sunt condignae* cet. Rom. VIII: 18.

*Andreas et Hubertus.* Non habeo quod de iis dicam.

*secundum Apostolum.* 2 Tim. II. 5.

*Stipula est — ventilanda ab area.* Verba satis obscura, quae Joa. Busch (Chron. Wind. p. 395), suo ut videtur marte, sic mutavit: *Stipula est Bartholomaeus haereticus, clamorosa et contumeliosa habens latera Aquilonis ipsum fulcientia.*

ventilanda ab area. Dicatis C. quod nullo modo maneat in scabinis, quacunque coactione non obstante aut damno quocunque. Sufficiat ei via justitiae et, salvis salvandis quae fidem tangunt et quantum de jure deberet et teneretur, stare dictamini vel eorum judicio; alias non staret. Nec quocunque imperio W. stet simplici dictamini scabinorum. Mallem mortem ejus temporalem. Valete valenter, quia tempus est quo probatur valor valentis.

*Consules Campenses ab area suo tempore ventilanda.* Recte vidit, stipulam Bartholomaeum indicare, sed male addidit: *consules Campenses.* Quamvis et ille legerit *area*, tamen non dubito quin sit legendum *aura.* Sensus verborum hic est: Stipula est Bartholomaeus superbe elata, jactans se ipso aquilone fulciri, sed mox levissima ventilanda aura.

*Dicatis C.* Chron. Wind : *Dicatis Curato.* At pastorem Campensem inter scabinos fuisse, vix credibile est. Literam C. scabini cujusdam nomen indicare, unusquisque videt. Sed nescio, quem in mente habuerit Gerardus.

*quacunque coactione. Coactio* est vis. Chron. Wind.: *coarctatione.*

*Sufficiat ei — staret.* Sententia contorta indeque obscura, huc rediens: Sufficiat ei via justitiae; sequatur ceterorum scabinorum decretum, quatenus permittit fides et postulat jus. Sed ne ulterius vadat! Quum enim eorum judicio obtemperaverit, in judicio Dei non valebit.

*Nec quocunque — scabinorum.* Male Chron. Wind.: *alias non staret Wernerus quocumque imperio.* Abhorret a consuetudine Gerardi, ita indicare quem alloquitur. Nomen nobis incognitum est. Verba sic interpretor: Nec W. acquiescat omnibus, quaecunque a scabinis decernantur.

---

## EPISTOLA VII.

### (Codicis XVIII. Folio 137 v.—139 r.)

Wernerus Keynkamp, cui Campis adhuc degenti literas miserat Gerardus, mox ipse decem annorum exsilio multatus, multo cum opprobrio publice e civitate eductus (Chron. Wind. p. 18, 19, 394), primum in oppidum unde ortus erat, Lochemium, se contulit. Quem ut com-

mendaret Stephano Vuerden, id temporis ibidem pastori, epistolam nostram Gerardus scripsit. Ex qua apparet eum gratia, qua fere ubique valebat, ita usum esse, ut amicis quoque prodesset (Conf. Thom. a Kemp. Vita G. M. cap. 14 sub finem).

Chronicon Windesemense continet hujus epistolae fragmentum (p. 394, 395), quod, quamquam non tam negligenter quam praecedens editum est, tamen Joannem plus sapit quam Gerardum. Rud. Dier (Dumb. Anal. I. p. 6) ejus mentionem fecit his verbis: „Unde idem magister Gerardus scribit de eo: Warnerus passus est qualia antiqui Sancti."

## De eodem Wernero ad dominum Stephanum pro tunc curatum in Lochem.

Sincera caritate, quae ecclesiam sanctam secundum omnem structuram et singulas partes dulciter fortiterque conjungit et disponit, praemissa. Domine S. mihi in sponsa sed amplius in sponso valde desiderate et optate. Vidit Johannes civitatem descendentem de coelo novam, ut sponsam ornatam viro. Vidit ille; videmus secundum nostrum modulum et nos civitatem in terram descendentem de coelo continue renovari, et secundum membra regenerari in Christo. Et ecce, ait sponsus, nova facio omnia. Ecce, et vobis novum factum per Christum omnia novantem nuntio, de dilecto in Christo Wernero

*ad dominum Stephanum.* Nomen ejus fuisse Stephanum Vuerden, docet series plebanorum Lochemensium, quam exhibent van Heussen, Hist. episc. Daventr. p. 193, et van Rhijn, *Kerk. hist. en outh.* VI. p. 723.

*curatum* Vid. p. 21.

*Sincera caritate — praemissa.* Multis talia vota praemittuntur epistolis, e. g. „Humili mea in Christo Jesu recommendatione praemissa;" „Caritate quae non excidit a Christo Jesu vobis, visceribus vestris et operibus semper praemissa et immissa", cet. Vide etiam Epist. IX.

*in sponsa*, in ecclesia; *in sponso*, in Christo.

*Vidit Johannes.* Apoc. XXI: 2.

*ait sponsus.* Apoc. XXI: 5.

vestro de vestra parochia, quia Christum confessus est. Olim, ut ecclesiastica et aliae sanctae narrant historiae, cum cuiquam propter fidem Christi vel oculus esset erutus, vel membrum aliquod abscissum vel truncatum, vel ad alias vel in alienis poenis positus, in vera integra et immaculata fide Christiana constanter perseverans, publice Christum et fidem rectam confessus est, confessor dicebatur. Et sic primo, secundo vel tertio vel quarto confessor nominabatur, secundum quod vel semel, vel bis, vel ter, vel quater etc., non obstantibus poenis, integer in confessione permansit. Sic vester Wernerus, imo et noster, pro indubitata fide contra insipientem monachum et contra mare turbatum stetit, Domino confortante, secundum modum sibi possibilem viriliter, et permansit fortiter. Deo sit gloria, cujus est virtus et victoria, signum pugnae legitimae. Et quia Wernerus egit pro Christo constanter, reportavit, quia et illa eum consecuta sunt, quae sanctis legitime certantibus duntaxat accidunt. Unde Dionysius in epistola ad beatum Jo-

*Et sic primo, secundo — permansit.* Hoc fieri potuisse, quis neget? Res satis in promtu est. At nusquem inveni, hunc constantem in ecclesia obtinuisse usum. Pertinent eo quodammodo duo exempla a Du Cange i. v. *confessor* (col. 951) allata. Unum est Lactantii (De mort. persecut. 16): „Novies enim tormento cruciatibusque variis subjectus, novies adversarium gloriosa confessione vicisti." Alterum sumtum est ex Actis passionis S. Maximini: „Bis confessor es, tertio martyr eris per gladium."

*quia et illa eum consecuta sunt.* i. e. ut inde apparet, quod consecutus est illa, quae cet.

*Unde Dionysius in epistola,* Vid. Opp. S. Dionysii Areopagitae, Antv. 1634, II. p. 178, 179. Totus locus Latino sermone hic est: „Quid mirum, veracem esse Christum discipulosque e civitatibus expelli ab injustis (qui quae merentur ipsi sibi tribuunt) atque a sanctis immundos se segregare et recedere? Revera manifestae imagines sunt visibilia invisibilium; neque enim in seculis ven-

hannem euangelistam in Pathmos insula relegatum: Quid mirabile est, ait, si verax est Christus, et discipulos injusti civitatibus expellunt, ipsi secundum dignitatem sibi ipsis attribuentes et a sanctis immundi discreti et recedentes? Vere, manifestae imagines sunt visibilia invisibilium; neque enim seculum venturum causa erit justarum segregationem ex ipso Deus, sed a Deo perfecte se ipsos segregantes. Haec Dionysius. Expulsus etenim Wernerus a quadam villa marina ab illis, qui dicunt cum perversis Sapientiae II° capite: Sit fortitudo nostra lex justitiae. A quibus et Johannes euangelista expellebatur. Et propter eandem causam, quod sibi valde gloriosum est, qua Johannes pulsus est, pulsus est et noster. Non enim propter crimen, ut degeneres, non propter pecunias vel similes terrenas occasiones segregatus est Wernerus, sed propter fidei et orthodoxae doctrinae constantiam separatus est. Imo ipsa marina indiscretio ab ipso sese (ut praedixit, diximus) potius

turis auctor justarum a se sejunctionum erit Deus, sed qui a Deo se prorsus separarunt." Versio, quam offert epistola nostra, ordinem verborum eorumque formam grammaticam tam diligenter imitata est, ut dignosci sensus ferme nequeat. Accedit quod irrepserunt menda. Procul dubio enim legendum est: *neque enim in seculo venturo* (vel *in seculis venturis*) *causa erit justarum segregationum ex ipso* (i. e. a se ipso) *Deus.*

*a quadam villa marina*, ex oppido Campensi. De voce *villa* vid. pag. 38.

*Sapientiae II° capite.* Sap. II: 11.

*quod sibi valde gloriosum est.* i. e. Wernero.

*Imo ipsa marina* cet. i. e. Wernerus e Campis, urbe maritima ejectus est. Verius autem dici potest, ipsam maritimam immodestiam se ab eo sejunxisse sibique segregationem a bonis tamquam justam imposuisse poenam.

*ut praedixit, diximus.* Sic perperam Codex. Legendum videtur: *ut praediximus*, nempe ubi Dionysii laudabamus verba; vel: *ut praedixit Dionysius.*

separavit, sibi ipsis quod digne merentur, ut a justis separentur, attribuentes.

Laetemur et congratulemur, quia merces sibi multa est in coelis; quia honor sibi magnus, qualis sanctis et bonis tribuitur, quia sanctis aliquid simile gessit, et sanctis aliquid par reportavit. Oremus ut participes suorum bonorum efficiamur, qui in eo multiplicari optamus et dilatari, ut et nos simul cum ipso dilatemur, quia in tribulatione, ait, dilatasti mihi; quia secundum Apostolum tribulatio operatur patientiam, patientia spem, et spes non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis; in qua vos scit Altissimus quantum desidero, ut ab inquinamentis hujus mundi, a tabernarum contubernio (ut vetitum est a canonibus), a negotiis secularibus (quia nemo militans Deo negotiis secularibus se debet immiscere) undique separatus, sancto ore, quo christiformia symbola consecrantes pronuntiatis, et mundo corde, illi in quo omnia bona et sine quo cetera pro nihilo sunt conjungamini Jesu Christo, qui regnat vivus rex et vivit regnans per omnia secula.

*quia in tribulatione* cet. Ps. IV: 2.

*Secundum Apostolum.* Rom. V: 3b—5.

*in qua vos scit* cet. i. e. in qua caritate scit Altissimus quantum desidero ut... conjungaris Jesu Christo.

*ut vetitum est a canonibus.* Vid. Concordia discordantium canonum, Part. I. Distinct. 35. Cap. 1, 3, 6. (Corpus juris canonici, Venetiis 1782, I. col. 117, 118).

*quia nemo militans* cet. 2 Tim. II: 4.

*undique separatus.* Verbum et pronomen secundae quae dicitur personae comitatis causa in epistolis fere semper in plurali leguntur. Attamen forma illa pluralis in adjectiva et participia vulgo non transit, sed eodem prorsus modo atque in lingua Gallorum usurpatur.

*quo christiformia symbola consecrantes pronuntiatis.* i. e. quo pronuntias voces, quibus in eucharistia panis et vinum consecrantur.

Non alienum videtur, paucis monere quid postea de Wernero factum sit. Fuit enim vir haud contemnendus, trium monasteriorum prior diligentissimus. — Gerardo Magno mortuo (1384), Florentio Radewijns, Gerardi discipulo et amico, fratrum vitae communis rectori Daventriensi egregio, sese addixit. Qui anno 1386, quum in pago Windesem prope Swollas monasterium ordinis Canonicorum regularium conderetur, eum cum aliis quinque fratribus illuc misit. Biennio post Wernerus omnium suffragiis monasterii recens aedificati prior electus est. Quum autem vir esset nimis scrupulosus, tribus postquam rebus praefuerat annis prioratu se abdicavit. Successit ei Johannes Vos de Huesden. Quem quum ad episcopum Trajectensem duceret ut confirmaretur, ipse laetitia exsultabat; Johannes autem tristabatur. Tunc episcopus consiliariis suis, numquam, inquit, simile quid vidi. Ecce priores, qui prioratum non honorem sed onus esse putant (Chron. Wind. p. 398). — Deinde monasterii Novae Lucis prope Hornam in Hollandia (van Heussen, Hist. episc. Dav. p. 128; van Rhijn, *Kerk. hist. en outh.* VI. p. 611; Chron. Wind. p. 159, 160), a Capitulo Windesemensi assumti, per duodeviginti annos prior fuit. Inde Windesem rediit ibique otio usus est, donec monasterii S. Salvatoris in Thabor prope Snecam in Frisia Occidentali (van Heussen, l. l. p. 129; Hist. episc. Leovard. p. 83; van Rhijn, l. l. p. 612, V. p. 159, 160; Chron. Wind. p. 171) prior factus est, ubi septem fere annos degens, teste Joanne Busch »Frisonum corda rudia, brumali algore frigida, effecit mansuetissima." — Tandem Windesem reversus, calculi morbo acerbissime sed mira cum patientia laboravit, diemque obiit anno 1427 (Chron. Wind. p. 18, 19, 40, 57, 58, 70—76, 159, 392—405).

---

## EPISTOLA VIII.

### (Codicis XXX. Folio 162 r.—164r.)

Quid alii ex Gerardi cum Bartholomaeo certamine perceperint, epistolae duae superiores docuerunt. Neque vero ipse incolumis evasit. Odium clericorum, quorum vitia detexerat, jam diu sibi conflaverat (Thom.

a Kemp. Vita G. M. cap. 8); nunc etiam Campenses contra eum apud episcopum agere coeperunt (Rud. Dier in Dumb. Anal. I. p. 6).

Teste Chron. Wind. p. 3, Florentius episcopus peculiari per dioecesim Ultrajectinam concionandi licentia Gerardum donaverat. Cui rei si fidem habere possumus, licentia illa procul dubio ei ademta est. Ne enim diutius concionaretur, ex episcopi decreto omnibus praeter sacerdotes conciones sacras habere interdictum est. Quod decretum eo magis mirum videri poterat, quum pastores parochiales in dioecesi Trajectensi quos vellent praedicatores, maxime veros et bonos, sine licentia episcopali admittere consuevissent. Accedebat ut ceteri fere omnes mox restituerentur, Gerardus autem, ratione non data, jure concionandi, quo diaconi utebantur, privatus maneret. Vere igitur Thomas a Kempis (Vita G. M. cap. 9) Florentii decretum „callidum edictum" nominavit.

Nec Gerardus neque amici ejus rem silentio praeterierunt. Ipse publicam edidit protestationem: „Ego Gerardus dictus Teutonice Groot", quam Thomas a Kempis Vitae ejus adjecit, et quae habetur in Codice nostro (fol. 118 r. et v.) et in Codice M. S. Ultrajectino (J. Clarisse, *Archief voor kerk. gesch.* cet. I. p. 359). Populo autem interdictionem aegre ferenti respondit: „Praelati nostri sunt, et volumus, prout decet et tenemur, eorum edictis obedire. Non enim quaerimus aliquem laedere, nec scandalum suscitare. Dominus bene novit suos quos elegit ab initio, et vocabit etiam per gratiam suam sine nobis, sicut ei placuerit." Haec Thomas a Kempis (Vita G. M. cap. 9). — Eodem tempore quidam Gerardi amicus, cujus nomen non ad nos pervenit, ipsi episcopo literas scripsit, quibus fructus praedicationis ejus laudantur, interdictio injusta reprehenditur, specialis concionandi licentia petitur. Quae si denegetur, pastores ne impediantur eum admittere, vel saltem rationes interdictionis reddantur. Has literas memorabiles, e quibus multo melius quam e ceteris documentis tota res cognosci potest, ab interitu servavit Thomas a Kempis.

Sed et alii Gerardo prodesse conabantur amici. Huc spectat epistola nostra. Intime enim utebatur Guilielmo de Salvavarilla, cantore Parisiensi, archidiacono Brabantiae in ecclesia Leodiensi, de quo uberius dicam, quum ad epistolas a Gerardo ei scriptas (Codicis I, XXXI, XXXIX, LI) pervenerimus. Guilielmus ille in schismate tunc vigente

Urbani partes firmiter sequebatur, eique pro amico suo literas scripsit, quas, quia valde memorabiles habendae et nondum integrae editae sunt, e Codice nostro typis mandavi:

„Sanctissimo in Christo patri ac domino nostro, domino Urbano, divina providentia papae sexto, sacrosanctae Romanae ac universalis ecclesiae summo pontifici, humillimus vestrae sanctitatis orator et servitor, Guilielmus de Salvavarilla, cantor Parisiensis, archidiaconus Brabantiae in ecclesia Leodiensi. Beatissime pater; humillima ac devotissima ad pedum oscula beatorum subjectione praemissa, zelum Dei habens, nisi fallor, scribo fideliter quae sequuntur. Vir quidam venerabilis, nomine Gerardus Magni (*sic*), diaconus Trajectensis dioecesis, in scientiis liberalibus, naturalibus et moralibus ac etiam in theologia et jure canonico eruditus, qui dudum propter Deum omnia sua beneficia, scilicet praebendas Trajectensem et Aquensem, ac etiam patrimonium suum satis largum reliquit, modica dicti patrimonii parte retenta pro tenui victu suo, cui mundus crucifixus est et ipse mundo, factus est magnus haereticorum persecutor, justitiae et unitatis ecclesiae zelator, et fervidus praedicator in dicta dioecesi contra vitia laicorum et clericorum, nihil ab illis quibus praedicat recipiens seu requirens, nullum temporale seu ecclesiasticum petit beneficium, sed desiderat, ut liberius et sine impedimento praedicare possit, habere super haec commissionem auctoritate apostolica. Unde, quantum mihi potest apparere, videretur expediens, quod vestra sanctitas eidem conferret auctoritatem praedicandi et contra haereticos inquirendi, et etiam vestrae sanctitatis canonicam justitiam in suis sermonibus propalandi in provincia Coloniensi, vel saltem in praedicta dioecesi Trajectensi. — Pater beatissime; quidam bacalaureus in theologia mihi scripsit, quod ad evitandum ne compellatur recipere licentiam in theologia Parisiis a Blancardo, dimittet patriam, beneficium et studium, et veniet ad me. De quo latius scribo magistro Guilielmo de Vinea. — Omnes hic fideles multum desiderant quod curia Romana Romam redeat, tum propter bonum exemplum, tum propter majorum (*leg.* majorem) peregrinorum devotionem, tum etiam ut facturi in curia non cum tantis periculis accedere valeant ad praesentiam vestrae sanctitatis. Quam dignetur Altissimus conservare feliciter ad regi-

men ecclesiae suae sanctae. Scriptum Leodii 21 die Octobris." (Codicis Epist. XIX, fol. 139 r.—140 r. Conf. Thom. a Kemp. post Vitam G. M.)

Neque Salvavarilla solus fuit, qui Gerardi Magni rem in curia papali promovere conatus sit. Docet enim epistola nostra, Johannem quendam, olim cantorem Parisiensem, tunc archidiaconum Campaniae, eodem consilio cubicularium papae per literas adiisse. Sed de singulis alibi erit agendum.

De tempore, quo epistola nostra scripta est, jam recte judicavit Delprat (*Broederschap van G. Groote*, ed. 2ª, 1856, p. 25), qui e Salvavarillae epistola conjecit, eam missam esse anno 1383. Ibi enim haec leguntur: „Omnes hic fideles multum desiderant quod curia Romana Romam redeat." Urbanus autem, Romae non tutum se esse existimans, medio fere anno illo urbem reliquerat, in quam anno demum 1388 rediit, i. e. quadriennio postquam Gerardus e vita discesserat. (Bower, *Hist. der Pausen*, VII. p. 81, 99). Literae igitur in Gerardi gratiam die 21 Octobris ad Urbanum extra Romam degentem scriptae, ad annum 1383 referri debent. Putem eas non diu ante Kal. Jan. anni 1384 ad papam pervenisse.

Eo quo epistolam nostram scribebat tempore, Gerardus Magnus in oppido Woudrichem commorabatur. Quid autem petitio ejus, quid amicorum literae ei profuerint, historia non docet. Quicunque magnas cognoverit calamitates, quas iisdem temporibus ipse Urbanus perpessus est, facile intelliget, Gerardi causam ei non magnopere cordi fuisse. Antequam nuntius reverteretur, noster diem obierat (Dumb. Anal. I. p. 6).

## [Ad dominum Bernardum.]

Domine Bernarde, praedilecte mi in Christo. Literae, quas vobis dabit dominus Florentius, sunt ad

*Domine Bernarde.* Hunc virum, ceterum mihi ignotum, in dioecesi Trajectensi vixisse et aliquando notarium et in honore fuisse, epistola docet.

*quas vobis dabit dominus Florentius.* Ipse Gerardus, quum hanc epistolam scribebat, non Daventriae sed in oppido Woudrichem degebat. Florentius, de quo loquitur, est Florentius Radewijns, discipulus ejus eique amicissimus, magister Pragensis, sacerdos ordinatus,

papam et ad unum cubicularium suum, per dominum et magistrum Johannem, olim cantorem Parisiensem, nunc archidiaconum Campaniae, pro sola praedicatione mea impetranda in provincia Coloniensi destinatae. — Petitio porrigenda supplicet pro tota provincia; sed si pro sola dioecesi nostra signata fuerit, sufficit, licet mal-

congregationis fratrum vitae communis Gerardo consentiente auctor, Daventriae vicarius et rector, ibique anno 1400 quinquagenarius mortuus. Vitam ejus conscripserunt Thomas a Kempis (in Operibus) et Rudolphus Dier de Muden (Dumb. Anal. I. p. 12—52). Addi possunt Chron. mont. S. Agn. p. 159, 160, et Chron. Wind. passim.

*ad unum cubicularium.* Cubicularius is est, qui in cubiculo, in conclavi res ministrat (*kamerdienaar*, *kamerheer*). Quis forte hic fuerit, vide pag. 63.

*per dominum et magistrum Johannem.* De hoc viro plura dicere non habeo, quam quae ipsa epistola docet.

*olim cantorem Parisiensem, nunc archidiaconum Campaniae.* Johannes igitur iisdem atque Salvavarilla functus est muneribus. Cantores saepissime ad summos honores perveniebant. Unicuique notum est quanti fierent in antiqua et medii aevi ecclesia, ubi vocis et cantus modulatione auditorum animos ad pietatem excitare debebant. Nec pudebat presbyteros et episcopos in ecclesia canere cantuique praeesse, imo laudi potius illud et honori sibi ducebant. Quid quod ipse Gregorius I papa pueris cantum ecclesiasticum edocendis dedit operam, et Vintoniensis in Anglia episcopus ratione officii sui ecclesiae Cantuariensis cantor erat? Cantores vulgo erant clerici, unde ad majores ordines poterant promoveri. At necesse non erat, quia munus eorum non ordo sed officium habebatur. Vid. Thomassini Vetus et nova ecclesiae disciplina, Lugd. 1706, I. p. 319—324, 174.

*nunc archidiaconum Campaniae.* Mirum videtur illius archidiaconi literas ad cubicularium papae, antequam mitterentur, Daventriae fuisse. Fieri tamen potuit, ut Johannes nuperrime Campaniae archidiaconus electus eoque nondum profectus esset, vel ut aliam ob causam id temporis in his regionibus vel certe Leodii apud Salvavarillam commoraretur. Conf. quae infra annotavi, pag. 63.

*Petitio porrigenda.* Haec petitio ipsius Gerardi Magni fuisse videtur, quam adjuvare literis suis conabantur amici.

*pro tota provincia; pro sola dioecesi.* Provincia est archiepiscopi Coloniensis; dioecesis est episcopi Ultrajectini. Archiepiscopus Coloniensis id temporis hos habebat suffraganeos: Leodiensem, Trajectensem, Monasteriensem, Mindensem et Osnabrugensem. Conf. Calendarium

lem pro tota provincia eam signari. — Literae papae directae canunt et recommendant me de scientiis liberalibus, theologia et jure, et quod resignavi praebendas et

historico-christianum medii et novi aevi, auct. A. J. Weidenbach, Regiom. 1855, p. 268.

*Literae papae directae.* i. e. Salvavarillae ad papam literae.

*recommendant me de scientiis liberalibus, theologia et jure.* Gerardus Magnus anno aetatis duodevigesimo (1358) in universitate Parisiensi factus erat artium liberalium magister. Omnibus quae iis temporibus in universitatibus docebantur disciplinis operam navaverat: philosophiae scholasticae et quae arcte cum ea cohaerebat theologiae, juri canonico, arti medicae et magicae. Ipse postea Coloniae Agrippinae publicas habuerat lectiones. Theologiae eum valde peritum fuisse docent aequales. Procul dubio S. Scripturam et doctorum ecclesiae opera multum legerat eorumque doctrinam bene noverat. Equidem putem, eum maximum fuisse in jure canonico: hoc enim ex iis quae scripsit apparet; huc etiam indoles ejus et mores tendebant. Erat enim vir ab omni parte justus, eorum quae fas sunt judex acerrimus, justitiae sensu acutissimo praeditus. — Eruditionis ejus testimonia ex amicorum scriptis multa afferri possunt. Narrat Thomas a Kempis (Vita G M. cap. 14, conf. cap. 1, 13, 15), eum „maximae reputationis inter egregios sui temporis doctores" fuisse. In Chron. Wind. nominatur „vir in Scripturis divinis, in juribus et in legibus omnique mundana facultate eruditissimus" (p. 11, conf. p. 5). Guilielmus Salvavarilla in epistola de Gerardi obitu (Thom. a Kemp. Vita G. M. cap. 17; Chron. mont. S. Agn. p. 151; Chron. Wind. p. 24; Codicis Ep. XX) scripsit, eum in omnibus scientiis liberalibus, naturalibus, moralibus, civilibus, canonicis et theologicis, nulli secundum fuisse in orbe. Quod testimonium libello suo inseruit Rudolphus Dier de Muden (Dumb. Anal. I. p. 2).

*et quod resignavi praebendas et patrimonium, tenui obtento victu.* Attigit hanc rem Thomas a Kempis (Vita G. M. cap. 5, coll. cap. 2), quae melius cognosci potest e verbis Rudolphi Dier de Muden (Dumb. Anal. I. p. 3): „Canonicus erat in duabus ecclesiis, videlicet in Trajecto inferiori ad sanctum Martinum et in Aquis grani, sed resignavit ipsas praebendas in manus papae. Rogantibus amicis ut provideret ex eis filiis suis, respondit: quod mihi non est utile, ad quid darem vobis? Exspoliavit se etiam possessionibus sibi derelictis a parentibus satis amplis. Carthusiensibus juxta Arnhem tradidit unum fundum seu agros perpetuo possidendos, et ipsi reddiderunt ei quosdam reditus ad vitam ipsius." Praebendae autem s. canonicatus dicebantur pecuniarum aliarumve rerum portiones, vel ab episcopo, vel

patrimonium, tenui obtento victu, et quod praedicavi gratis euangelium Christi, et haereticos insequor et insecutus sum; et post persuadent utile esse ecclesiae, quod habeam potestatem liberam praedicandi in Coloniensi provincia. — Literae cubicularii continent similia et quaedam alia facta cantorum.

Dominus Florentius dabit vobis nomine meo decem florenos pro bullis. Libenter vellem etiam habere altare

a capitulo, vel conjunctim ab utroque ex ecclesiae reditibus alicui tributae (Vid. Du Cange i. v.; Thomassinus l. l. variis locis, quos vide in Indice). Tradunt Thomas et Rudolphus, Gerardum statim post conversionem canonicatus suos resignasse. At in documento authentico anni 1374, quo domum suam Daventriae pauperibus mulieribus Deum colentibus tradidit (Dumbar, *Kerk. en Wereltl. Deventer*, 1732, I. p. 548), etiam tum dicitur „*her Gherytdie Groete Canonic in onser Vrouwen kercketoe Aken.*" Fieri potest ut nihil aliud sit nisi titulus, quem antea habuerat. Attamen, ob hanc pluresque alias causas putem, Gerardum vitam suam et mores non diu ante annum laudatum mutasse, eumque paucis tantum i. e. decem annis id egisse, quo nomen ejus èt apud aequales èt apud posteros inclaruit. Non est hujus loci hanc opinionem multis firmare; sufficiat eam expromsisse.

*et quod praedicavi gratis euangelium Christi.* Idem testatur Thomas a Kempis (Vita G. M. cap. 14) his verbis: „nil terreni commodi ex praedicatione quaerens, sed animarum lucra pensans, ac gratis sine ecclesiasticis sumtibus euangelizans." Gerardus Magnus enim suis sumtibus vivens, neque ab ecclesia, nec fratrum mendicantium more a laicis alebatur.

*et haereticos insequor et insecutus sum.* Vid. pag. 25, 26.

*Literae cubicularii* i. e. ad cubicularium papae, a Johanne Campaniae archidiacono scriptae, sed nobis deperditae.

*et quaedam alia facta cantorum. Facta* sunt negotia, res. Sic etiam in hac ipsa epistola: „libenter juvabit ad factum meum", i. e. ad rem meam promovendam. — Pro plurali *cantorum* fortasse legendum est singulare *cantoris*, nisi accipiendum sit de Johanne et de Guilielmo Salvavarilla. Quod si verum est, recte conjeci Johannem, quum literas ad papae cubicularium scriberet, in his regionibus vel certe Leodii fuisse. — Inter cetera de quibus sermo est, fuisse potest illud de baccalaureo, cujus in Salvavarillae literis mentio fit. Inde appareret papae cubicularium fuisse Guilielmum de Vinea.

*decem florenos pro bullis.* i. e. ad

portatile, si posset leviter obtineri, ut coram me et sociis meis possit cum eo privata missa fieri, aut quod ego, si sacerdos efficerer, valerem cum eo celebrare; et quod

diploma papale, jus libere concionandi mihi concedens, habendum.

*altare portatile.* Altare portatile s. viaticum s. gestatorium, vel ara portatilis, vel lapis portatilis erat altare ab episcopo consecratum, vulgo ex marmore vel e nigro lapide confectum, quod facile per viam deportari et illis in locis, ubi altaria non erant, altaris vicem explere poterat. Sic missarum celebratio fiebat a sacerdotibus iter facientibus in locis ab ecclesia remotis, sic in altaribus fixis sed nondum consecratis, in capellis quae minores erant quam quae solenni dedicatione consecrarentur, in oratoriis domesticis, coram militibus in tentorio, sub divo, alibi. Non convenit de tempore, quo altaria portatilia fuerint inventa, sed procul dubio posterioris sunt aetatis. Beda Venerabilis primus est, qui duorum sacerdotum »vascula et tabulam altaris vice consecratam" in itinere secum habentium fecit mentionem (Hist. Anglic. L. V. c. 11). Inde a Caroli Magni temporibus arae portatiles magis magisque in usum venerunt. Medio seculo IX Hincmarus Remensis de iis tamquam de re ecclesiae ritibus conveniente scripsit: »quam [tabulam quisque presbyter, cui necessarium fuerit,] secum deferat, in qua sacra mysteria *secundum ritum ecclesiasticum* agere valeat." Anno tandem 1298 Bonifacius VIII papa rem hoc sanxit decreto: »Quoniam episcopi eorumque superiores se habent diversis ex causis suis ecclesiis et dioecesibus absentare frequenter, nec semper possunt commode ad ecclesias accedere pro missa celebranda vel audienda in ipsis, sine qua eos transire non decet absque causa rationabili ullam diem, praesenti constitutione indulgemus eisdem, ut altare possint habere viaticum et in eo celebrare ac facere celebrari, ubicunque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare vel audire divina" (Libri sexti decretalium Lib. V. Tit. VII. Cap. 12). Concilium Tridentinum rei finem fecit, vetuitque altarium portatilium usum. Conf. Bingham, III. p. 146; Thomassinus, I. p 301; Binterim, II, 2, p. 203, 204; Du Cange i. v.; van Rhijn, I. p. 91, V. p. 419; J. A. Smidii Diss. de altaribus portalibus (Decas diss. hist. theol., Helmst. 1714, p. 33 sqq.); P. Nieuwland, *Lett. en Oudheidk. verlustigingen*, II. p. 470—474; *Archief* cet. I, p. 180; J. Wagenaar, *Beschr. van Amsterdam*, II p. 90).

*si posset leviter obtineri.* i. e. a papa obtineri. Altari portatili episcopi consecratio sufficiebat, sed ab episcopo Trajectensi eam frustra quaesivisset.

*si sacerdos efficerer.* Verba notatu dignissima. Gerardum Magnum sacerdotem fieri numquam voluisse, omnes testantur. Rudolphus Dier (Dumb. Anal. I. p. 5): »non au-

dispensatio generalis alicui committeretur bono viro, ut cum fornicatoribus notoriis, de jure communi suspensis et qui in suspensione celebraverunt, unde secundum multos doctores (quibusdam cum contradicentibus) irregula-

debat ex timore conscientiae effici presbyter, considerans magnam dignitatem ordinis sacerdotalis." Joannes Busch (Chron. Wind. p. 2): «Ad gradum vero sacerdotii propter excellentissimam ejus dignitatem et profundissimam sui ipsius humilitatem numquam voluit promoveri." Thomas a Kempis (Chron. mont. S. Agn. p. 149): «Sacerdotalem vero ordinem ob reverentiam ejus suscipere declinavit." Idem (ibidem) allegavit verba ejus: «Nollem esse curatus ecclesiae Swollensis una nocte pro pileo meo pleno aureis florenis." In hac nostra epistola legitur: «Scitis, utinam gustu tangeretis, sacerdotium sublimem fore rem et puram conscientiam requirere" cet. Adde Epist. X. Sed praecipue e Gerardi nostri sermone contra focaristas apparet quanti munus sacerdotale fecerit (*Archief voor kerk. gesch. inzonderheid van Nederland*, I. p. 372—378). Ipse semel tantum «multorum fratrum precibus flagitatus" quendam sacerdotem fieri sivit, i. e. Florentium Radewijns; sed ipse postea: «semel, inquit, feci unum ordinari in presbyterum, et spero quod dignus sit. De cetero cavebo ne leviter quid simile faciam, quia paucos ad hoc idoneos cerno" (Thom. a Kemp. Vita Florentii cap. 10). Sed quid plura? Locus noster docet tempus fuisse, quo a consilio munus sacerdotale accipiendi non prorsus erat alienus. Et si quaeratur, quid eo perducere eum potuerit, ut vetus vitae propositum relinquere in animo haberet, respondeo ardentem fuisse euangelium praedicandi cupiditatem, si licentia a papa petita ei concessa non fuisset.

*et* [*libenter vellem*] *quod dispensatio — dispensare*. *Dispensatio* est remissio, venia, indulgentia. Vid. Du Cange i. v. *Dispensare cum aliquo* est vitium vel poenam alicui remittere. *Fornicatores* sunt vulgivagae Veneri dediti. Differunt a *focaristis* s. concubinam alentibus. (Vid. J. Clarisse, *Archief* I. p. 364, 365). Sacerdotibus, qui noti erant fornicarii, munere suo fungi interdicebatur. Quicunque ita suspensus missam celebrabat vel alio modo pro sacerdote se gerebat, contra ecclesiae leges s. regulas agebat indeque irregularis dicebatur. Hac de re autem non idem omnes juris canonici doctores sentiebant. Solius papae erat suspensos in munus restituere. Sic Sexti decretalium Lib. V. Tit. XI. Cap 1: «Si contingeret sic suspensos divina officia exsequi sicut prius, irregularitatem non effugient juxta canonicas sanctiones; super qua non nisi per summum pontificem poterit dispensari." Nostro loco addere liceat alium ex Gerardi sermone contra focaristas (*Archief* II. p. 357): «Longe verior et certior et securior

ritatem incurrerunt, possit dispensare. Veniet circa festum paschae praepositus Leodiensis in summo, doctor in decretis, ad curiam, qui aliquando fuit referendarius papae istius. Cui dixi de facto fornicatorum, quem credo optime ad hoc adjuturum. Dispensatio ista possit cantori vel praeposito committi, et ipse praepositus libenter juvabit ad factum meum, credo. Spero tamen quod per diligentiam vestram et per cubicularium illum ad minus praedicandi potestas, quam magis et principaliter desidero, obtinebitur, antequam ille praepositus ad curiam venerit. De capellanatu honoris modicum vel nihil curo.

et longe plurium et melius sapientum sententia est, quod cum his, qui suspensi propter crimen celebraverunt vel ministraverunt et ideo irregulares effecti sunt, episcopus non potest dispensare. Unde cum notorio fornicatore suspenso celebrante et ideo irregulari non potest episcopus sed solus papa dispensare" cet. Ex his verbis apparet eum non fecisse cum "quibusdam contradicentibus," sed cum doctoribus multis, de quibus in epistola loquitur.

*Veniet circa festum paschae.* Nempe anni 1384.

*praepositus Leodiensis in summo.* Praepositus in monasterio uni suberat abbati, reliquis vero omnibus praeerat monachis; praepositus in canonicorum capitulis uni suberat episcopo, a quo eligebatur, reliquis praeerat clericis. Plures aliquando in capitulis erant praepositi, unde titulus praepositi majoris s. in summo. Vulgo praepositi res potissimum temporales ecclesiae curare, administrare, defendere debebant. Vid. Du Cange i.v; Thomassinus. l. l. I. p. 846—848, 862—865.

*qui aliquando fuit referendarius papae istius.* i e. Urbani VI. Nomen *referendarii* est a verbo *referre.* Referebant enim principum mandata, quae vulgo ipsi subsignabant. Quum doctrinae haud mediocris et spectatae probitatis atque integritatis esse deberent, saepissime qui referendarius fuerat episcopus creabatur. Vid. Du Cange i. v; Thomassinus l. l. III. p. 547, 548.

*libenter juvabit ad factum meum.* i. e. ad rem meam promovendam. Vide supra. Homo, ardenter aliquid cupiens, de aliis rebus agens identidem ad se ipse solet redire.

*ad minus.* i. e. saltem, certe hoc, si non indulgentur plura.

*quam magis et principaliter desidero.* Observa flagrantem ejus praedicandi cupiditatem, quae etiam in sequentibus valde perspicua est.

*De capellanatu honoris modicum*

Est praedicandum euangelium Christi tota mihi mens. De aliis si videritis facilem opportunitatem, aut quod libenter cubicularius ille vel praepositus darent se benevolos ad impetrandum, possitis tentare.

Non libenter vellem Urbanum omnino certe asserere esse papam, sed bene quod crederem eum esse papam, et tenerem et, quantum mihi videtur, tenendus sit pro vero papa. Nam certitudinaliter non scio eum papam, propter dubium multorum. Unde nec auderem jurare quod esset papa; et nihil incerti potest quis certitudinaliter asserere sine peccato. Sed ratio mea et mens et opinio et etiam illis quibus subsum, dictant eum esse papam in tantum, ut videtur mihi quod potius deberem mortem eligere, antequam alteri parti ante generale concilium consentirem. Haec ideo scribo ut sciatis men-

*vel nihil curo.* Capellanus dicebatur qui capellae custos erat, cujus reditibus sustentabatur. Erant capellani episcoporum, praepositorum, et inde a seculo IX optimatium (Vid. Du Cange i. v.; Thomassinus l. l. I. p. 866, 867; Binterim l. l. I. 2. p. 114—120; Augusti, *Handb. der christl. Archäologie*, I. p. 275, 276). Monet Thomassinus, capellas ecclesiarum interdum velut beneficia, earumque reditus velut praebendas esse donatas, ita ut inter beneficiarios etiam capellani numerarentur. Inde concludo, Gerardum nostro loco agere de tali capellanatu, quem honoris causa et tamquam praebendam ei jam obtulissent vel forte offerrent, ut eum offensum placarent.

*Non libenter vellem* cet. In ecclesiae schismate, anno 1378 exorto, Gerardus Magnus haesitabat quemnam legitimum papam esse putaret. Pro certo habebat non esse Clementem; dubitabat autem an esset Urbanus. Religiose timebat, si jus praedicandi sibi daretur, ne apud omnes et vel in suggestu ejus partes promovere cogeretur. Neque hunc metum vanum fuisse apparet e Salvavarillae ad papam epistola, ubi haec: „Videretur expediens quod vestra sanctitas ei conferret auctoritatem praedicandi et contra haereticos inquirendi et etiam vestrae sanctitatis canonicam justitiam in suis sermonibus propalandi." Quanto minus igitur hac in re sibi imponatur, tanto gratius sibi esse testatur.

*et etiam illis quibus subsum.* Pro *illis* legendum est *illi*.

tem meam; quia quantum minus mihi imponeretur de praedicando Urbano, hoc magis amarem.

Si vultis habere procuratorium ad impetrandum super quo vos eratis notarius, alias mittemus vobis notam vestram, quam de praesenti apud me, jam in Wouderchem constitutum, non habeo. Omnia in secretis retinere dignemini. Opto multum valde, ut sapienter et pie et secure de anima vestra et beneficiis ordinetis, antequam Romam pergatis. Tempus breve est; praemium et pondus gloriae vel horroris infernalis est infinitum; et quid prodest homini si totum mundum lucretur, si animae suae detrimentum patiatur? Quid vobis et mihi omnes nostrae vanitates deliciarum et honorum, qui jam non sunt, profuerunt? Et quid proderint in futurum? Hoc scitote, mihi magis cordi esse et me magis optare vestram bonam animae ordinationem, quam quidquid mihi impetrari a papa possit. Velit Deus nos sic hic conjungi, ut non velit in futuro cum eo nos umquam dis-

*Si vultis habere — non habeo.* Res satis obscura, nullius nobis momenti. *Procuratorium* s *procuratio* sunt literae, quibus negotium alicui committitur (Du Cangei. v). Verba huc redeunt: »Si vis procurationem ad impetrandam eam rem, cui notarius affuisti, alio quodam modo ea quae tunc annotasti tibi mittam; nunc autem mittere non possum, quippe qui ea mecum non habeo.« Sed aliter quoque interpretari possint.

*ut sapienter . . . de anima vestra et beneficiis ordinetis. Beneficia* dicebantur fundi et agri ecclesiae ab episcopo alicui assignati. Non suberant hereditariae successioni, sed post mortem possessoris ad ecclesiam redibant. Copiosissime de iis egit Thomassinus. Multa de iis scripsit Du Cange. — Monet Gerardus, ut Bernardus res suas spirituales et temporales bene ordinet antequam Romam proficiscatur, ne forte imparatum in itinere eum mors opprimat.

*Et quid prodest homini* cet. Matth. XVI: 26.

*Et quid proderint in futurum?* Sic Codex.

jungi. Scitis, utinam gustu tangeretis, sacerdotium sublimam fore rem et puram conscientiam requirere. Sed cura animarum hoc ultimo tempore, etiam si solo intuitu curer ad curandum animas et sine advertentia vel lucro temporali suscipiatur, periculosissima est volenti intrare in regnum coelorum. Vix enim quisquis sibi satis esse potest, quia sanctorum caritas refriguit et abundat iniquitas multorum, ut praedixit tempus venturum. Quod et beatus Bernardus suis temporibus venisse testatur, et jam magis vergente mundo in malum et senium, magis verificatur. Valete in Christo humiliter et devote.

*Scitis, utinam — requirere.* Verba haec allegata sunt a Petro Hoorn (Continuatio scripti R. Dier de Muden in Dumb. Anal. I. p. 115): „Utinam, ait magister Gerardus Grote in quadam epistola, gustu tangeretis" cet.

*sacerdotium sublimam fore rem.* Sic Codex.

*Sed cura animarum — regnum coelorum.* Si ejicis vocem *curer*, omnia bene procedunt. Sensus enim hic est: Cura animarum hoc ultimo tempore, etiam si probo consilio, sine mala animi voluntate nec lucri causa suscipitur, quam maxime obstat propriae saluti aeternae.

*ut praedixit.* Adde: *Christus.* In mente habet Matth. XXIV: 12. Nostro loco in multis convenit alius, quem vide pag. 73.

*Quod et beatus Bernardus.* Nempe in praefatione Libri de vita et rebus gestis S. Malachiae (S. Bernardi Opp. ed. Mabillon, Par. 1719, I. col. 663). Conf. infra p. 73.

---

## EPISTOLA IX.

### (Codicis XXIII. Folio 168r.—171r.)

Nomen viri, cui haec epistola missa fuit, non indicatur. Videtur non procul Bruxellis vel in ipsa illa urbe habitasse. Quum a Gerardo

„secundum ordinem pater" nominetur et conciones sacras habuerit, dubium esse non potest quin fuerit sacerdos et pastor.

Argumentum epistolae est „correptio" auditorum i. e. eorum ab oratore reprehensio. Videtur Gerardi amicus eos auditorum, quos reprehendere vellet, quasi digito indicasse. Quod quum illi indigne ferrent, consilium cepit deinceps omnino tacere, praedicationis finem facere, monasterium intrare. Hac de re sententiam rogatus Gerardus respondet, auditores melius reprehendi dictis generalibus, quae ad se omnes possent referre, quam specialibus, quae ad unum paucosve dirigantur. Ideo ei commendat Scripturae et sanctorum verba, quibus eo consilio utatur, quaeque ipsi auditores interpretentur sicut velint. Generali enim sermone saepe reprehendi se patiuntur, qui specialem ferre nequeunt. Hujus rationis agendi exemplum ipse Christus dedit. Reprehensionis fructus non semper est in reprehenso, sed saepius abit in commune bonum. Ne quis reprehendatur ubi alii adsunt, nisi firmus sit in caritate. Cavendum est, ne etiam hac in re margaritas nostras ante porcos jaciamus. — Monet tamen amicum ne omnino taceat, sed spiritum Dei, cujus primitias habet, adhibeat; ne monachus fiat, sed in mundo maneat, mundi autem ne sit; amice utatur iis qui monasteria in Viridi Valle et Rubea Clusa incolunt, et aequo animo ferat si forte ab uno alterove eorum comtemnatur.

Igitur jam ob argumentum hae literae memorabiles sunt habendae. Accedit autem quod ex iis Gerardus, postquam ei interdictum erat praedicare, accuratius cognosci potest, quid ageret, quam miserum se esse sentiret. Etiamsi non praedicaret, tamen otio non utebatur, imo quies nulla ei erat, sibi ipse consulere ferme non poterat. Animo imbecillis, corpore infirmus aliis prodesse conabatur, hanc tantum veniam ab amicis petens, ut „pro suo misero Gerardo dissoluto" orarent.

His addi possunt quae narravit Thomas a Kempis: Gerardum illis de quibus sermo est temporibus se contulisse ad privatas exhortationes et consolationes; eum juvenes domum invitasse, colloquiis attraxisse, virtutis viam docuisse, qui plures ei scribebant theologicos libros, quibusque interdum, ut frequenter venirent, pia cautione non omnem solvebat pecuniam debitam, donec familiaritate ejus allecti tanto libentius eum audiebant, quanto majorem in eo esse pietatem videbant (Vita G. M. cap. 9). — Sic

etiam Rudolphus Dier de Muden (Dumb. Anal. I. p. 6) testatur, eum id temporis Horas beatae Virginis, septem Psalmos poenitentiales et Officium defunctorum e Latino Teutonice vertisse, psalmosque nonnullos difficiliores interpretatione instruxisse.

## [Epistola de correptione auditorum.]

Sincera in Christo caritate, quae nos spero indissolubili vinculo ad invicem et in invicem adjungit, conjungit et unit, semper concupita, semper radicata semperque in desiderio praemissa. Frater in eodem, imo verius secundum ordinem pater, cordi meo dulcis et suaviter electe. Scitis dissolutiones meas, quas vidistis, licet non praedicaverim. Non cessant tamen molestationes plurimae. Instantia quotidiana non permittit me, ea quae velim, vel illis quibus velim etiam quodammodo promissa scribere. Fateor, promisi de virginitate et aliis promissis et necessariis scribere. Sed non datur quies. Nihil penitus scribo, sed objicientibus aliquibus respondeo, sicut de ducibus et aliis meis magister Ricoldus potest informare. Et ut latius aperiam vobis

*Sincera in Christo* cet. Vid. pag. 53.

*objicientibus aliquibus respondeo.* Hinc plures Codicis nostri epistolae originem ceperunt

*sicut de ducibus et aliis meis.* Quinam voce *ducibus* indicentur, me latet.

*magister Ricoldus.* Bis in hac epistola nominatur, sed et in aliis nobis occurrit. Quum Johannes Cele, scholae Swollensis rector (de quo vide pag. 24) anno 1380 Pragam ire intenderet, Ricoldo, donec ipse Swollam rediisset, munus ejus offerebatur. Quod autem suscipere noluit; nam omne resignans regimen, statuit Romam ire indeque „lotus et mundatus" monachus fieri. — Haec pauca collegi ex epistolis Codicis XII, XIII, XXXIV, quas deinde in lucem edam, e quibus simul apparebit quid de eo senserit Gerardus.

cor meum, — infirmus sum cervice, et non datur tempus vel studendi pro corpore vel scribendi ea, quae mihi ad firmandas meditationes essent utilia. Dissolvor valde. Vobis quod optastis non valeo complere, quamquam non modicum mihi displiceat. Vestrum est orare pro me, quia vitia inanitatis et superbiae atque impetuosae iracundiae pro loco et tempore, corruptis cicatricibus, erumpunt a facie insipientiae et pessimae custodiae meae. Non appono debita remedia. Aliis credo esse juvamini, sed quid mihi, non video. Antiquis vulneribus meis non provideo. Sed vestrum est orare. Et dignemini mihi parcere quia vobis non scribo. Veraciter, non valui. Sed mihi videtur in talibus correptionibus sanum, ut

*vel scribendi ea, quae mihi ad firmandas meditationes essent utilia.* Narrat Thomas a Kempis (Vita G. M. cap. 13), eum fuisse „in meditando compunctum." Solebat quae oblivioni tradere nolebat „in regestis (i. e. in registris, in tabulis) aut in librorum marginibus vel operculis (i. e. in cooperculis, coopertis, Gall. *couvert*) firmiter assignare," sive quae fiebant, sive quae agere vel dicere debebat. Quae dixerat et in epistolis scripserat secum habebat, ut inimicos mendaces redarguere posset (Vita, l.l.). Quum Johannem Ruysbroeck, pium monasterii Viridis Vallis priorem, visitasset, quaedam dicta ejus scriptis mandavit, ne ea oblivisceretur (Vita, cap. 10). Habebat schedulas, in quibus scribebat peccata sua, quae jussu ejus post mortem igni traditae sunt (Rud. Dier de Muden in Dumb. Anal. I. p. 9). Solebat quidem pretium librorum, quos emerat, annotare (Codicis Epist. XLV). Erat autem memoria ejus tenax, ut fide Joannis Busch (Chron. Wind. p. 3, 4) sanctorum patrum sermones, quos semel tantum legisset, memoriter teneret atque in synodo Trajectensi Bernardi Claraevallensis de Pauli conversione sermonem coram universo clero publice ad verbum pronuntiaverit. Nimius, ni fallor, bonus Joannes hac in re fuit laudator. Sermo enim Bernardi non ita magnus est, quippe qui in editione Mabilloniana (Paris 1719) quatuor vix implet columnas (I. col. 961—964). Verba autem quae scribens e patribus allegavit, saepissime mutavit vel etiam mutilavit.

*corruptis cicatricibus* cet. In mente habuit Ps. XXVII (XXVIII): 6.

*Sed mihi videtur in talibus correptionibus* cet. Repente currit ad

quis utatur forma verborum a sanctis tradita; et hoc mecum facere intendo, quia futurum mihi videtur adhuc una dierum quod vobis contigit. Glosent ipsi verba sanctorum sicut velint; permaneamus nos in verbis vel juxta verba in sensu sanctorum. Jam tempus venit, in quo non sustinebunt homines, secundum Apostolum, sanam doctrinam, et in quo verificantur verba Jesaiae XXX°: Nolite adspicere legem et adspicientibus nolite etc. Nescio si sint verba talia; videte in litera. Et secundum Bernardum, in prologo Vitae Malachiae, jam refriguit caritas sanctorum tempore suo, et abundavit iniquitas. De quo tempore praedixit Christus. Et si tempore beati Bernardi sic fuerit; imo et antea, quid ergo jam? Custos, quid de nocte? Rebus praesentibus malis applicanda sunt verba Scripturae et san-

argumentum epistolae, ut doceat quomodo orator sacer auditores quam optime corripiat, i. e. de vitiis convincat, reprehendat.

*et hoc mecum — contigit.* i. e. idem et facere mihi propositum est, quia etiam mihi accidere posse videtur quod tibi jam accidit, scil. ut alios imprudenter et inconsulte reprehendens, ipse ab iis reprehendar.

*Secundum Apostolum.* 2 Tim. IV. 3.

*verba Jesaiae.* XXX: 10 „Qui dicunt videntibus: Nolite videre! et aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea quae recta sunt!"

*videte in litera.* Indicare videtur concordantias quae dicuntur bibliorum. Tales concordantias jam circa annum 1244 primus composuerat Hugo de S. Caro cardinalis. Ante annum 1300 auctae et emendatae erant ab Arlotto de Prato. Vid. Du Cange i. v. *Concordantiae;* Herzog, *Real-Encyklopädie* i. v. *Concordanz.*

*Secundum Bernardum in prologo Vitae Malachiae.* Titulus integer hic est: „S. Bernardi abbatis liber de vita et rebus gestis S. Malachiae, Hiberniae episcopi." Scripsit illum librum, speculum et exemplum aequalium, praecipue clericorum, propter morum corruptelam. Habetur in editione Mabilloniana I. col. 663—698.

*De quo tempore praedixit Christus.* Matth. XXIV: 12 „Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum."

*Custos, quid de nocte?* Verba notissima Jes. XXI: 11.

ctorum, tamquam generaliter dicta. Regnavit Dominus; irascentur gentes. — Generali sermone illi possunt corripi, qui singularem correptionem non sustinent, ut dicit beatus Gregorius, nescio in quoto Moralium. Et sic Christus fecit saepius, sciens cogitationes hominum. Sic discipulis Jesus respondit, cum eos ad eum Johannes mitteret: beatus qui scandalisatus non fuerit etc. Non improperavit eis, sed in genere eos percussit. Generalis percussio facilius sustinetur. Vidi ad oculum, quod devoti quidam apte sumserunt quaedam generalia dicta mea in praedicatione mea, quae tamen eis in collatione sic universaliter expressa non sustinuerunt, quia tunc essent particulariata, quia personae particulari dicta, licet aeque generaliter. Semper fructus correptionis mente habendus est ut finis operis, et omnis correptio, prout fini huic intento congruit, moderanda est; licet

*tamquam generaliter dicta.* E Codice effici nequit, utrum legendum sit *tamquam* an *quamquam*. Magis placet lectio *tamquam*.;

*Regnavit Dominus* cet. Ps. XCVIII (XCIX): 1. Versio vulgata: *irascantur gentes.*

*ut dicit bēatus Gregorius.* Puto eum spectare ad initium Lib. X. Moralium (Opera Gregorii papae I, ed. Benedict., Par. 1705, I. col. 838).

*beatus qui* cet. Matth. XI: 6; Luc. VII: 23.

*in collatione. Collatio* apud monachos dicebatur coetus, in quo, praecipue ante vel post coenam vespertinam, de S. Scriptura et de rebus religionem spectantibus simul conferebant, vel breviorem sermonem habentem audiebant. Nomen transiit in coenam et in sermonem. Est enim adhuc species coenae, quae dicitur *collation.* Sermones universe, maxime qui liberius erant dispositi, vulgo collationes vocabantur. Sic in Vita domini Joh. Hatten (Dumb. Anal. I. p. 185): „Non faciebat declamationes aut divisiones more praedicatorum, ne scilicet exhortatio ejus atque monitio, collationis amisso nomine, sermonis nomen acciperet." Conf. Du Cangei. v; W. Moll, *Joh. Brugman*, I. p. 12, 184; II. 401. Nostro loco liberum colloquium vox indicare videtur.

aliquando fructus ille non sit semper in correpto, sed multocies cedit in commune bonum, vel communi populo, vel audientibus. — Alias nullus est corripiendus coram omnibus, nisi sit firmus in caritate et patiens, qui verbis lacerari non potest. — Omnino etiam cavendum est, ne sic projiciantur perfectae sententiae aut sermones perfectionis, quae sunt pretiosae margaritae, ante porcos, ut ex modo projectionis vel facto, vel aliqua circumstantia pronuntiantis, possint conculcari in terram et in nihilum redigi, aut carnalibus sensibus infundi et transformari, et sic transformatae, infusae, annihilatae, ante faciem per porcos nostram projici et disrumpi. Haec est Christi doctrina. Unde et Hieronymus super XII Prophetas (et ponitur in decretis XI, q. III, c. „quando") dat consilium, quid vir bonus et prudens debeat facere tempore, quo omnia mala vadant in domo vocata Dei. Videatis ibi. Sed non reputo tutum vobis, omnino tacere; quia, quantum mihi videtur, Spiritus Domini tetigit cor vestrum, et postulat, et dixit postulata gemitu et verbis vobis ignotis et interius, et direxit ipse sicut scit, licet in homine non plene formate secundum Scripturas,

*ante faciem per porcos nostram.* Immutentur verba.

*Haec est Christi doctrina.* Matth. VII: 6.

*et ponitur in decretis.* Decretorum Pars II, Causa XI, Quaestio III, Caput 23. Ibi ex Hieronymi in Amos prophetam haec descripta sunt: „Quando ergo vir ecclesiasticus et prudens atque intelligens multas impietates in ea quae vocatur domus Dei esse cognoverit, et non solum multas sed et fortes et quae opprimere possint justitiam, et in tantum doctorum rabiem processisse, ut accipiant pretium in judicio, et omnia pro muneribus faciant, pauperes quoque devitent in portis, et audire contemnant, taceat in illo tempore, ne det sanctum canibus" cet.

*et dixit postulata gemitu* cet. Alludit ad Rom. VIII: 28.

*licet in homine non plene formate.* Lege: *formato.*

tamen habente primitias spero Spiritus Altissimi. Hoc enim volo et desidero, ut sint omnia vestra moderata et ordinata. Ordinavit, inquit sponsa, in me caritatem. Vere, vere, Dominus dabit adhuc ex vobis quod non crederetis. Ideo non suaderem quod taceretis omnino, nec sanior absorbens sit vobis de dictis alias, sed nollem vos non dixisse, nec velle debetis, meo videre. Imo spero vobis coronam magnam propter illa, sed tamen quidquid

*Ordinavit, inquit sponsa*, cet. Cant. II: 4.

*Vere, vere, Dominus dabit* cet. Haec verba Gerardi aequales prophetiam forte esse putaverint. „Tantae devotionis et contemplationis exstitit" (sunt verba Thomae a Kempis in Vita G. M. cap. 12), „ut divina plerumque revelatione mereretur consolari, et prophetico spiritu instrui de futuris." Rei testimonia sunt in Chron. Wind. p. 19 (conf. Rud. Dier in Dumb. Anal. p. 6); 64, conf. 21; 294; 387 (conf. Vita G. M. cap. 12, et J. Busch, de reformatione monasteriorum, in Leibnitii Script. Brunsvic., Hann. 1710, II. p. 939); 520; Rud. Dier de Muden in Dumb. Anal. p. 8, 9; J. Busch, l. l. p. 937, 940. Omnium autem gravissimum hoc est, quod quum Johannes Ruysbroeck diem obiisset, antequam nuntius Daventriam pervenisset, eum mortuum esse cognoverit, et, ut aliis quoque hoc nuntiaret, campanas solenniter pulsari jusserit. Vid. Thom. a Kemp. l. l. cap. 10, et J. Busch, l. l. p. 939, 940, qui addit, plura his similia scripta esse „in libro de vita et conversatione sua sancta", ubi etiam de praedicatione ejus utilissima quaedam leguntur. Statuere non audeo, quem librum indicaverit. — Etiam Bernardini, Johannis Ruysbroeck, Johannis Brugman, plurium, tales feruntur praedictiones s. prophetiae. De quibus quid judicandum sit, optime exposuit W. Moll in opere *Johannes Brugman*, II. p. 237—240.

*Ideo non suaderem — demerito.* Verba obscura. Ni fallor hoc significant: Ideo non suaderem tibi, omnino tacere. Nec sapientior quis te devertat a consilio quod edixisti. (Putem, eum auditoribus minatum esse, se diutius nolle praedicare, nisi mores depravatos corrigerent). Nollem te hoc non edixisse, nec tu nolle debes. Si autem in agendi ratione tua latuerit aliquid minus dignum, minus providum, minus prudens, hoc solum jure displicet et displicebit. Sed longe majus est meritum quam culpa.

*meo videre; secundum meum videre.* Duae locutiones, Gerardi temporibus valde consuetae, pro Latinorum *me judice*.

minus ornatum, minus provisum, minus sapiens in eo facto vobis latuit, displicet et displicebit merito. Sed longe magis est meritum demerito.

Etiam, secundum meum videre, non auderem vobis consulere quod intraretis religionem, licet non confidam nec confidendum sit mihi, quia ignorans viam Dei. Desiderium meum est secundum cor meum, quamquam forte fatuum, ut maneatis in mundo et non sitis de mundo, quia odibit vos mundus, et multi nomine religiosi, quia de mundo sunt, èt sua quaerent èt vos odient. Et veri religiosi nec hoc, nec hoc, nec habent locum vel tempus vel hominem; nec continuum quaerentes sed

*non auderem vobis consulere* cet. *Intrare religionem* est *monachus fieri.* Conf. pag. 32. Forte putes, Gerardum Magnum monasteria contemsisse. Falso. Ipse non solum antea aliquamdiu cum fratribus Carthusiensibus in monasterio Monichusen prope Arnhemium vixit (Thom. a Kemp. Vita G. M. cap. 6, 7), verum etiam magis provectus aetate plures scripsit epistolas (Codicis Epist. III, IV, V, VIII, XV, XXIX, XXXII, XXXIV), ut qui in monasteria recipi vellent, praelatis commendaret, locumque iis peteret. Sed contemnebat monasteria, ubi simonia vigebat (Cod. Epist. IV, IX, X) et ubi monachis et monialibus licebat propria sua bona habere (Cod. Epist. LII, LIII, LIV). Etiam ipsa monasteria nec sancta nec sine periculis esse ducebat. Ecce verba ejus memoria dignissima, quae scripsit amico, qui ordini cuidam religioso sese addixerat: „Valde est secundum cor meum quod estis professus. Sciendum quod ubicunque homo in mundo fuerit, impedimenta habebit; quaedam vel a bono retrahentia, vel impedientia bonum, vel diminuentia bonum invenit. Non est locus in terris, cui tentationes non sunt conjunctae. Non est locus sive religio, qui vel quae permittit hominem sine pugna militare et vivere. Numquid tota vita hominis militia est super terram? Numquid" cet. (Cod. Epist. LVII).

*quia odibit vos mundus* cet. Conf. Joh. XV: 19.

*Et veri religiosi nec hoc, nec hoc.* i. e. nec sua quaerent, nec te oderint.

*nec habent locum vel tempus vel hominem.* Nihil qualecunque proprium habent.

*nec continuum quaerentes sed totum mundum. Continuum* idem est ac *contiguum*, nempe id quod vicinum s. proximum est, quod nos cingit. Vid. L. Diefenbach, Glossarium Latino-Germanicum mediae et infimae

totum mundum, imo supra mundum omnes homines et aeterna et generalissima, vos sicut patrem et fratrem ejus unicum conjungent et amplectentur. Et maxime sitis unitus illis de Viridi Valle et de Rubea Clusa. Et si quis particularis homo aliquid contra vos, quod absit, habeat in praedictis monasteriis, nolite averti a specie propter individuum. Jocunde cum individuo transite. Forte et illud est vobis utilius amicioribus. Carbones amoris in signis et beneficiis supra individui caput con-

aetatis, Francof. 1857, i. v. Recte igitur ei opponitur totus mundus cet.

*vos sicut patrem et fratrem ejus.* Conjicio pro *ejus* legendum esse *suum*, nisi pro *fratrem* legendum sit *filium*, quod magis placet.

*illis de Viridi Valle et de Rubea Clusa.* Monasterium Beatae Mariae Virginis in Viridi Valle prope Bruxellas in silva Sonia, anno 1343, postquam idem locus jam ab eremitis habitatus fuerat, fundatum est a Johanne Ruysbroeck et qui eum comitabantur sodalibus. Ipse Ruysbroeck ibidem prior exstitit. Quem fama ejus allectus Gerardus Magnus visitavit (Thom. a Kemp. Vita G. M. cap. 10; Chron. mont. S. Agn. p. 147; Vita et gesta domini Joa. Rusbrochii, in Opp., Colon. 1552, cap. 8; J. Clarisse e codice M. S. Traject., *Arch. voor Kerk. Gesch.* VIII p. 360-364). Quanti Gerardus hoc monasterium faceret, intelligitur ex Epist. Cod. XXXII, praeposito, priori et fratribus missa, ubi haec: „nec scivi quibus plenius possit de hoc confidere, aut a quibus uberiores aut certiores fructus ferre valuerit, quam a vestra sancta et venerabili comitiva." Erant ibi praeter Ruysbroec devotissimus coquus, cui nomen Johannes van Leeuwen s. Johannes Cocus; Johannes de Schoonhoven, minor natu, sed postea supprior monasterii, vir piissimus, praedicator peritissimus. Anno 1413 una cum aliis sex Brabantiae monasteriis in Capitulum generale Windesemense susceptum est (Chron. Wind. p. 174—176). In his erat monasterium S. Pauli in Rubea Valle itidem prope Bruxellas in Sonia silva, ubi circa annum 1370 fuerat clusa s. cellula eremitae cujusdam, unde in epistola nostra audit Rubea Clusa. Postmodo clusa illa in coenobium Canonicorum regularium commutata et, ut jam dixi, anno 1413 cum monasterio Viridis Vallis, cujus erat membrum, Windesemensi Capitulo generali colligata est. (Vid. van Heussen, Hist. episcopatus Daventr. p. 127; van Rhijn, *Kerk. Hist. en Outh.* VI. p. 609, 610).

*Jocunde.* Sic medii aevi scriptores pro *jucunde*.

gerendae sunt. Item aequa lance, ut Ajach ambidexter, inter laudatores et vituperatores vestros, nec illis vobis nimis conjungentes (quia „qui laudabant me, adversum me jurabant") nec ab illis nimium fugientes. Faciunt enim nobis, qui nos contemnunt, secundum Chrysostomum, quod nos nobis facere nequimus: èt humilitatis èt proprii contemtus augmentum. Currit calamus. Tempus arctat et imperat, ut cessem scribere tibi. Tibi, imo verius spiritui tuo, (tuo inquam, quia in te primitias tuas acceptanti et habitanti,) commendo animam meam. Ora; postula instanter instantius; insta opportune et importune pro tuo misero Gerardo dissoluto. Opto, opto, opto quantum valeo. Utinam valerem ardentius et vehementius! Ceterum pro illis libris emendis magister Ricoldus laborabit, si superfuerint, et capiet illa septem scuta in adjutorium. Rogo ut seriose eum juvetis. Et si qui alii libri juxta eos fuerint, dignemini inquirere.

*Congerendae sunt.* Lege *congerendi sunt.* Confer Rom. XII: 20.

*Item aequa lance, ut Ajach ambidexter.* Pro *item* lege *ite. Ajach* pro *Ajax* scriptum est. *Ambidexter* dicitur ille, cujus utraque manus est dextra. Epitheton autem non est Ajacis sed Asteropaei (Iliad. XXI. 163).

*nec illis vobis nimis conjungentes.* pro *vobis* legendum videtur *vos.*

*qui laudabant me,* cet. Ps. CI (CII): 9.

*secundum Chrysostomum.* Non verba sed sensus verborum plane convenit cum Joannis Chrysostomi de Davide et Saul Homilia III (Opp. ed Montfauconiana, 1718, IV, p. 774 e, 775 a) coll. ejusdem in Joannem Homilia LXXXIII (Opp. VIII. p. 497 d).

*currit calamus.* „in scribendo [erat] scriba velox." Thom. a Kemp. vita G. M. cap. 13.

*spiritui tuo.* i. e. Spiritui sancto, qui jam in te habitat.

*Ceterum pro illis libris* i. e. de quibus mihi scripsisti.

*et capiet illa septem scuta in adjutorium.* De pretio numorum in patria nostra ante seculum XVI fere nihil certi statui potest; de pretio illo Gerardi temporibus nihil omnino.

# EPISTOLA X.

## (Codicis XXXVII. Folio 175 v.—180 r.)

De viro, cui etiamtum Amstelodami degenti hae literae scriptae fuerunt, Johanne de Gronde, in annotationibus dicam. Argumentum, ut ipsius epistolae verbis utar, est regimen hominum obstinatorum vel non contritorum vel de quibus spes non habetur. Videtur Johannes ita indicasse de quibus Gerardi sententiam literis suis rogasset. Responsum huc redit: Regimen animarum est ars artium; ceteris èt difficultate èt subtilitate praestat; quis sapiens obstinatos vel non contritos vel de quibus non est spes regere valet? — Absolvi non possunt; ne Deus ipse quidem eos absolvit; quod nisi ille faciat, quid prodest sacerdotis absolutio? — Fieri non potest, ut omnes suas oves bene cognoverit pastor; attamen a Spiritu missus est; Spiritus eum juvabit. Quid autem quod ille, cui ob munus suum haec cura non incumbit, onus tam grave temere suscipiat? — Studendum est peccatoris conversioni. Si vero obstinatus est, absolvi omnino non debet; ut poenitentiam agat, ei imponatur. — Quodsi dixerit se a peccato velle abstinere, rector proprius, non voluntarius confessor de eo judicium ferat; sed in variis rebus variis modis agendum est. — Quodsi in vitium sit relapsus, res fit difficillima. — In his omnibus voluntarius severius agere debet, quam qui munere suo adstrictus est confessor. Ne quis igitur sponte sua se tali immisceat periculo, cui non parem esse se Gerardus confitetur.

Ipsum Gerardum ex his literis melius cognoscere licet, quia docent quam gravem et difficilem curam pastoralem, quam vilem et futilem peccatorum confessionem et absolutionem sine morum emendatione existimaverit.

### Ad dominum Johannem de Gronde.

Domine mi in Christo praedilecte. Tardavi tardus, non paucis occupatus et aliquando attaediatus, impatiens taedii

*Ad dominum Johannem de Gronde.* Hic natus erat in pago

multitudinis, vobis rescribere. Parcatis. Placet mihi in Domino quia vobis placet biblia. Timui non eatenus vobis placere, quatenus mihi placuisset. — Si vera mea est memoria, tunc memorabilem librum habetis de regi-

Otmarsia in Tuentia. Sacerdos aliquamdiu Amstelodami degit, donec Gerardi rogatu, ceterorum Amstelodamensium sacerdotum consensu, Daventriae presbyterium susciperet (Codicis Epist. XXXVI). Ibi cum fratribus, quos domi suae congregaverat Florentius Radewijns, in communi vixit u. a. annum 1384, quo Gerardo nostro in ipsius domo successit rector s. confessor devotarum sororum. Verbum Dei frequenter in ecclesia beatae Mariae voce sonora, sermone dulci, oratione solenni praedicabat. Interdum etiam Swollas veniebat, ut fratres sororesque devotas firmaret. Ubi die quodam parascenes passionem Domini »ultra sex horas devotissime praedicando exposuit, modico tamen intervallo in medio sermonis pro virium reparatione populis indulto." Tam avide audiebatur, ut inter epulas quoque saepe animos alere cogeretur. Praedicatione sua, scabino quodam favente, mercatores qui in templi coemeterio pannos vendere solebant (Conf. J. Wagenaar, *Beschr. v. Amsterdam*, 1765, II. p. 94) inde removit. Octavo postquam sororibus in domo magistri Gerardi (*meester-Geerts-huis*) praefuerat anno, pedibus aeger prae infirmitate in communem Florentii domum a fratribus deportatus est, ubi paulo post, die 7 Maji anni 1392 obiit. Sepultus est ubi euangelium praedicare solebat, in ecclesia beatae Mariae juxta Gerardum Magnum in eodem sepulcro. Successit ei sororum rector Johannes Brinckerinck. — Quae narravi e triplici fonte hausta sunt: e Vita ejus, quam breviter exposuit Thomas a Kempis, e scripto Rudolphi Dier de Muden (Dumb. Anal. I. p. 9, 11, 15), et e Chron. montis S. Agnetis, p. 154, 155.

*Placet mihi in Domino quia* cet. *Quia* saepissime pro *quod* scribebatur. Unusquisque sponte intelligit, Johannem de hac re Gerardo scripsisse.

*quia vobis placet biblia.* Vox *biblia* in plurali (*biblia*, *orum*) et in singulari (*biblia*, *ae*) usurpatur. Illa forma magis, haec minus in usu erat. Thom. a Kemp. de Imitat. Christi Lib. I. Cap. 1: »Si scires totam bibliam exterius et omnium philosophorum dicta, quid totum prodesset sine caritate et gratia?" Sic noster in Epist. XI: »triginta vel quadraginta antiqua scuta accipiantur et ponantur ad unam bibliam" cet. Septies forma singularis legitur in Chron. Wind. p. 104.

*Si vera est memoria mea — non habetur.* Alia de qua Johannes scripserat res. Gerardum enim rogaverat sententiam de regimine hominum obstinatorum cet. Qui ei respondet: Habes, ni fallor, memorabilem librum in quo agitur de hac re. — Fateor verba alio modo interpungi posse aliumque tunc praebere sensum. In interpunctione autem Codicem secutus sum.

mine hominum obstinatorum vel non contritorum vel de quibus spes non habetur. Postulatis vobis scribi. Utinam possit scribi; utinam possit exsequi! Non esset difficile, quod taliter ut vos aestimatis possit conscribi. Ars artium, dicunt sancti, est regimen animarum. Superexcellit èt difficultate èt subtilitate ceteras. Subtilitate: nam requirit perfectam vel magnam èt juris canonici èt scientiae theologicae peritiam, quae multas alias scientias morales et naturales, antequam vere sciantur, praesupponunt. Difficultate autem, quia requirit experientiam et exercitationem magnam vitae spiritualis et discretionem spirituum et conditionum hominum. Et in hoc vos ad

*Non esset difficile — conscribi.* i. e. Res, si tam facile quam tu putas posset conscribi, revera difficilis non esset. Attamen difficillima omnino est.

*Ars artium, dicunt sancti, est regimen animarum.* Gregorii I papae Regulae pastoralis libri Part. I. cap. 1 (Opp., ed. Benedict., Paris. 1705, II. col. 2, 3): »Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum."

*Et discretionem spirituum.* Verba sumta sunt ex 1 Cor. XII: 10.

*Et in hoc vos — demonstrat.* Mendum irrepsisse, quem latet? Habes verba ut in Codice inveniuntur descripta et interpuncta. De una tantum voce *et* dubium moveri possit, quamquam nescio quo alio modo legi debeat. Putes ipsum Gregorii librum auxilio esse. Ibi autem in prologo (l. l. II. col. 1) operis in quatuor partes distributio his verbis proponitur: »Nam cum rerum necessitas exposcit, pensandum valde est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat, atque ad hoc rite perveniens qualiter vivat, et bene vivens qualiter doceat, et recte docens infirmitatem suam quotidie quanta valet consideratione cognoscat." Prima, secunda et quarta pars optime suo quaeque titulo respondent. Tertia versatur in exponendo quomodo admonendi sint viri et feminae, juvenes et senes, inopes et locupletes, laeti et tristes, ceteri plurimi. Nisi igitur plura verba omissa sint, legendum puto: *Et in hoc vos ad Pastorale Gregorii remitto, qui singularius conditiones veri curatoris et pastoris in primo* (i. e. in prima et secunda totius operis parte), *et conditiones hominum in secundo* (i. e. in tertia parte; quarta brevissima est et observationem fere evadit), *prout describi possunt demonstrat.*

Pastorale Gregorii remitto, qui singularius conditiones veri curatoris et pastoris, et in primo et conditiones hominum, in secundo prout describi possunt, demonstrat. Desidero ut vos omnes, qui curam animarum accipitis, illum dulcem libellum in cordibus vestris limatum haberetis.

Ceterum quis sapiens et quantumcunque bonus obstinatos, vel de quibus non est spes, vel non contritos regere valet? Credo orationem pro eis magis utilem quam regimen; item praedicationem et monitionem, quam absolutionem vel quam falsam poenitentiam. Solus Deus convertit peccatores. Conversio peccatorum major est quam creatio mundi. Etiam per claves non aperit gremium vel ostium nisi contritis, nisi de quibus est spes et non obstinatis. Nec Deus absolvit homines hujusmodi. Quid est hoc, quod presbyter eum absolvit in terris, qui non absolvitur in coelis? Ostendit eum ecclesiae absolutum, quem vera mater ecclesia immaculata non suscipit. Intromittitur ad extra per presbyterum, sed repellitur ab intra, quem tamen ad intus admissum presbyter, interiora ejus perscrutatus, ostendit vel dissimulat. Dicit verbo: absolvo te; dicit sibi ipsi mente contrarium. Numquid divisus est homo iste; numquid mendax; numquid alius intus, alius extra? Quemadmodum et juvat, ut confitens sit et maneat alius intus, alius extra: in-

*Etiam per claves non aperit* cet. Scil. presbyter *Claves*, *gremium* et *ostium* accipe de clavibus, gremio et ostio ecclesiae.

*Ostendit.* scil. presbyter.

*Quemadmodum et juvat ut confitens* cet. Egit de sacerdotis ratione agendi ambigua. Nunc idem de confitente observat.

tra diabolus, extra Christianus; intus non contritus vel obstinatus, extra per communionem et alia ut ad Deum conversus. Quis his laqueis voluntarie se immiscet, nisi volens laqueari? Quis indomitas bestias, leones et apros, more gregis valet ad pastum ducere et reducere? Satis magnum est hoc malo tempore, si abbas vel prior doctus et bonus duodecim oves vel viginti legitime secundum datam regulam gubernaverit, quarum omnem conversationem et faciem mentis cognoverit.

Praecipue periculum illi est, cui cura ex officio non incumbit, hujusmodi se retibus involvere. Veniant homines hujusmodi ad pastores eorum, qui contra propriam voluntatem, non ex ambitione sed cum dolore ex obedientia, curam (jam importabile pondus) assumserunt. Hos mittit Spiritus; hos et juvabit Spiritus. Ceterum, si qui se hujusmodi officiis ingesserint, timendum est eis id quod scriptum est: qui amat periculum, incidit in eum. Habeant eorum pericula. Convertat Deus corda eorum, ut quod ambitiose assumserunt, caritate plena et interna compleant. Aestimo me legisse de sancto Bernardo in epistolis suis, quod magnos peccatores

*curam (jam importabile pondus) assumserunt.* Forte legendum est: *curae jam importabile pondus assumserunt.*

*incidit in eum.* Sic Codex.

*id quod scriptum est.* Sir. III: 27.

*in epistolis suis.* i. e. ejus. Memoria auctorem non fallit, ut apparet ex Bernardi epistolis LXI et LXII in editione Mabilloniana (Parisiis 1719, I. p. 63). Ex harum epistolarum altera haec allego: „Nos enim nostrae parvitatis et officii mensuram attendentes, nec nos ultra nos extendentes, dare poenitentiam, maxime in criminalibus, nulli hominum praesumere omnino solemus, nisi solis quos in nostram curam suscepimus." Ex altera vero haec: „Nostrum fuit deviantem corrigere; vestrum sit peccatricem non despicere, imo poenitentem suscipere."

etiam conversos, datis eis consiliis sub sigillo confessionis, ad proprios rectores sine absolutione solebat remittere. Attendatis periculum: si tantus pater conversos verebatur absolvere, quid nos pusilli?

Ergo omnino primo laborandum est ad eorum conversionem èt precibus èt monitionibus, imo et poenitentiarum injunctionibus, antequam ad eorum absolutionem procedatur. Curatus proprius subditum volentem confiteri refutare non debet, quantuscunque sit peccator. Si conversus non fuerit vel abstinere noluerit vel obstinatus sit, nullo modo potest eum absolvere et mentiri Deo, homini confesso et ecclesiae, et dare occasionem ut remaneat peccator in consuetis. Sed potest sibi poenitentiam injungere, maxime illi qui non vult nec proponit abstinere, ut per poenam poenitentiae habilior ad bonum et humilior efficiatur. Et secundum hoc plura capitula in decretis intelligenda sunt, quae primo sono sonant auditui indocto, quasi homo, qui non proponeret abstinere, etiam absolvi possit. Sed non est absolvendus sed admonendus, informandus, et poenitentia poenalis sibi potest injungi.

Ceterum si dixerint: „volumus abstinere", et presbyter cognoverit, vel praesumserit, vel etiam ex signis manifestis (ut puta: quia non recedunt a malo, vel non repellunt

*Curatus.* Vide quae annotavi pag. 21.

*subditum volentem confiteri. Subditi* dicuntur clientes, qui alterius juri ac potestati subsunt. Vid. Du Cange i. v. Sexcenties laici hoc nomine indicantur.

*Sed potest sibi.* i. e. ei. Conf. p. 18.

*vel etiam ex signis manifestis.* Verbum *viderit* vel aliud huic simile post parenthesin desideratur.

*ut puta.* i. e. exempli gratia. Saepissime apud Gerardum Magnum et alios legitur.

fornicariam, si habuerint,) quod hoc non intendunt veraciter in corde quod asserunt ore, in hoc casu consulo, quod se habeat rector proprius et necessarius valde differenter quam alius non proprius sed voluntarius confessor. Nam voluntario confessori omnino consulo, ab absolutione talium abstinere. Licet enim cuilibet in foro conscientiae de propria conscientia credendum est, tamen non quilibet tenetur ei credere, qui voluntarie audit eum, sperans esse sine periculo et se emendaturum voluntarie. Potest eum dimittere, si periculum perceperit. Qualiter autem proprius curatus cum homine tali, qui se velle dicit abstinere, debet procedere, est valde durum dicere. Nam in aliquibus casibus debet eum simpliciter ab absolutione et communione repellere secundum recidivationes vel notoriam contrarietatem factorum et verborum, et dicere sibi: „Illudis ecclesiae clavibus et sacramentis". Et in aliquibus debet eum absolvere simpliciter, et in aliquibus debet dicere, praecipue quando dubitat si false poeniteat: „Caveas tibi. Si absolutionem et communionem accipis, et non habes firmum propositum abstinendi et rejiciendi mulierem, nihil tibi proficiet absolutio et com-

*fornicariam. Fornicaria* et *fornicatrix*, voces Latinis vix cognitae, significant *prostibulum*, *meretricem*, sive eas derives a voce *fornix*, sive eas voci Graecae πόρνη cognatas habeas. Conf. Du Cange i. v; Fabri Thesaurus i. v. — Nostro loco autem magis conveniret vox *focaria*, quae ad literam indicat ancillam focum curantem, sed inde etiam concubinam, pellicem. — *Focaristae* dicuntur viri concubinam alentes. — Conf. J. Clarisse in opere *Archief* I. p. 564, 565, ubi edidit Gerardi sermonem de focaristis.

*in foro conscientiae*. Sic semper Gerardus. Dicitur etiam forum poenitentiae, forum animae, forum confessionis. Vid. Du Cange i. v.

*secundum recidivationes. Recidivatio* est repetita culpa. Vid. Du Cange i. v.

*rejiciendi mulierem*. i. e. concubinam.

munio; imo erunt tibi in poenas et condamnationem et in testimonium malorum tuorum. Caveas ne sis fictus, aliter habens in corde, aliter in ore; imo non erit tibi absolutio, et denuo omnia oportebit confiteri. Si vero fueris vere poenitens, et dolens cum effectu intendis dimittere, Deus propitiabitur tibi". Et tunc debet ei imperare ut revertatur, et imponere sibi aliquando in poenitentia ut hoc dimittat, ut possit eum postea reprobare de ficta poenitentia. Et hoc non debet negligere. O quanta hic est cura et sollicitudo et vigilantia! Item et in aliquibus debet simpliciter dicere: „Rogo te, non decipias me et te et ceteros; quia, ut video, ficte confiteris, video quod non vis dimittere", et probare et ostendere sibi per signa fictionem, et exempla proponere malorum, quae sequuntur ficte confitentes et duritiem lapideam et consuetudinem induratam concomitantem, et retrahere eum ab absolutione, praecipue quando sciverit vel omnino praesumserit eum ficte confitentem sine proposito vero abstinendi. Et si omnino perseveraverit confitens in sua assertione, in hoc ultimo casu aliquando potest absolvi simpliciter, aliquando cum minis, dicendo: „Si video te reversum ad vomitum, de cetero non absolvam vos."

Et in recidivationibus subditorum in peccata, est regimen animarum valde difficile et subtile. Item aliquando

*et imponere sibi; et ostendere sibi.* i. e. ei. Vid. pag. 18.

*et imponere sibi... in poenentia.* Sic Codex.

*Si video te reversum ad vomitum.* Alludit ad Prov. XXVI: 11 s. ad 2 Petr. II: 22.

*de cetero non absolvam vos.* Sic Codex, quamquam praecessit singulare *te.*

puto tales sub conditione absolvendos, ut puta: „Si et in quantum vere proponis abstinere in corde, ego te absolvo", et dicere hoc in absolutione, et absoluto etiam dicere sibi in Teutonico, quod nullatenus sit absolutus: „si dixeris te velle abstinere et non ex corde notas, et quod oporteat te denuo confiteri". Et in his omnibus rigidius debet procedere voluntarius confessor quam necessarius. Et hoc dico, si quis auderet se tali supponere periculoso oneri voluntarie. Multa hic est opus sagacia in perspiciendo corde et differentia peccatorum, in diverso modo procedendi cum hujusmodi hominibus, in diversis peccatis valde diversimode apparentibus, et secundum spem et possibilem sanitatem confitentis et ejus recidivationem, secundum aetates hominum, secundum tenacitatem lapsuum et secundum plura alia, quae illi melius sciunt quam ego, quos Deus ad haec officia sua missione destinavit. Dimitto alia valde grandia pericula, quae ego miser mundano adhuc timidus et inanis, quem mulcet fama boni nominis, quem lactat adhuc favor hominum, timerem et mirabiliter formidarem, ne timore a facie potentis vel loquentis, quod faciendum esset rigide dimitterem, vel non audiendum vel non absolvendum vel audirem vel absolverem. Similiter de favore et nomine, quae cogunt aliquando nimis vituperium et odium hominum formidare, et sua suavitate ad multa me periculosa volunt adhuc trahere. Imo timeo, quod dona

*et absoluto etiam dicere sibi in Teutonico.* Ejiciatur aut *absoluto* aut *sibi.* Ceterum attende ad ipsam rem.

*si dixeris te velle — confiteri.* Fere putem nonnulla hic esse elapsa.

*quae ego miser mundano.* Pro voce *mundano* lege *mundanus,* litera o mutata in 9 (us).

me aliqualiter in inconstantia veri et boni obliquent. Inde est quod nullius hominis donum mihi oblatum proposui recipere. Sed non est sic puris et bonis viris sicut mihi, qui sub omni ligno frondoso et in omni colle sublimi fornicatus sum, teste meo confessore vobiscum domino Giesberto, qui me amplius quam alius noscit, quia me a juventute audivit; cujus vestigia post scripturas sanctas consulo ut sequamini.

Haec scripsi de illis, quae scribi plene non possunt.

*inconstantia*. Lege *inconstantiam*.

*qui sub omni ligno — fornicatus sum*. Alludit ad Jerem. II: 20. III: 6.

*teste meo confessore vobiscum domino Giesberto*. Nomen ejus integrum est Ghiselbertus Dou, filius Jacobi. Sic enim nuncupatur in tabulis fundationis coenobii Canonicorum regularium Amstelodamensium, ex autographo pergameno a van Heussen editis (Hist. episc. Harlem., p. 115, 116; conf. van Rhijn, *Kerk. hist. en outh.* IV. p. 204—206). Erat hic sacerdos ditissimus Amstelodami, ubi fundavit coenobium S. Catharinae et asceterium S. Gertrudis s. Vallis Virginum (*Maagdendal*), sed praecipue (anno 1394) coenobium Canonicorum regularium, quod bonis suis et pecuniis multum locupletavit. Idem rector et confessor Beguinarum Amstelodamensium exstitit. Teste Thoma a Kempis (Chron. mont. S. Agn. p. 177) erat benignus et liberalis omnium qui ad eum venirent hospes, fidelis pauperum adjutor, dulcis tristium consolator, integer piissimi cujusque amicus, optimatibus gratus, simplicibus dilectus, doctis honoratus. Eum Gerardi Magni confessorem fuisse docet tum epistola nostra, tum Rud. Dier (Dumb. Anal. I. p. 4; conf. p. 32) his verbis: „Confessor ejus fuit frater Johannes Optereest, Minor bonae vitae, detestans pecunias. Tamen generalem confessionem ejus ab ineunte aetate audivit venerabilis et devotus presbyter, dominus Gysbertus Dou, confessor devotarum sororum in Amsterdam." Inde mirum videri possit, Gysbertum in Chron. Wind. (p. 189) Gerardi Magni discipulum vocari. At unum et alterum verum esse potuit, si Gerardi „a juventute" et Rudolphi „ab ineunte aetate" cum grano salis, ut ajunt, accipis. Erat Gysbertus quinque annis minor natu; multa a Gerardo discere potuit. Erat idem sacerdos; inde ab anno suo vigesimo quinto, praeceptoris trigesimo, hunc confitentem audire ei licebat. Mortuus est Gysbertus anno 1420, aetatis septuagesimo quinto. De eo legi possunt: Chron. mont. S. Agn. p. 177, 178; Thom. a Kemp. Vita Florentii, cap. 27; Chron. Wind. l. l.; Rud. Dier l. l.; van Heussen, l. l. p. 110, 114—

Scripturam per me habere quomodo convenienter possitis, non video. Copiam istius literae in duobus foliis ita conscriptae ut in libro imponi possit, omnino remittatis. Missilem Johannis de Francfordia pridie recepi. Vitas patrum habet quidam in Zutphania, a quo habeo Vitam Hieronymi, quae mihi scribitur. Nec citius audeo meos libros postulare, quam accommodatum remiserim. Quo facto habebitis postulata. Epistolam Novimagiensem nuper incepi scribere et in scribendo cucurrit in librum, qui est compositus per particulas sed nondum ingrossatus.

Recommendetis me dominis Giesberto, Guilielmo, Gerardo et toti venerabili Amsterdammensi ecclesiae.

118; van Rhijn, l. l. p. 198, 201, 204—208. Conf. Le Long, *Beschr. van de reform. der stadt Amsterdam*, p. 239; J. Wagenaar, *Beschr. van Amsterd.*, 1765, II. p. 51.

*Scripturam per me habere* cet. Sequuntur plura, quibus literis a Johanne ei scriptis respondet.

*Copiam.* Gall. *copie.* Vid. Du Cange i. v.

*istius literae. Litera, ae* pro *literae, arum* èt apud Du Cange èt apud Diefenbach frustra quaeris.

*Missilem Johannis de Francfordia.* Codex habet *missilem*, sed legendum puto *missalem*, i. e. librum, quo continetur missarum officium.

*Vitas patrum habet quidam — habebitis postulata.* i. e. Petivisti ut tibi Vitas patrum mitterem. Eas mutuas dedi viro cuidam Zutphaniensi, a quo ego Vitam Hieronymi mutuatus sum. Haec mihi describitur. Meos autem postulare non audeo libros, antequam eam remiserim.

*Epistolam Novimagiensem.* Haec epistola mihi plane ignota est. Tractatus potius quam epistola fuisse videtur, sed forte numquam edita est.

*Sed nondum ingrossatus. Ingrossare* est literis majoribus librum describere. Vid. Diefenbach i. v.

*Recommendetis me dominis Giesberto, Guilielmo, Gerardo.*— De Gysberto Dou jam vidimus. — Codicis Epistolae XXXVI inscriptio haec est: „Ad Guilielmum Oude Scute, Gijsbertum Dou et Johannem de Gronde presbyteros" [Amstelodamenses]. Hinc apparet Guilielmi nomen et locus. In illa epistola etiam haec leguntur: „Et tu, habitator senior cordis mei, Guilielme." Unde licet judicare de intima horum virorum familiaritate. — Gerardus mihi ceterum ignotus est.

# EPISTOLA XI.

## (Codicis XLVIII. Folio 211 r.—215 v.)

Johannes quidam, pastor ut videtur Daventriae, qui ecclesiae bona elocaverat atque inde magnas pecunias sibi fecerat, omnia sua remittere cupiebat in manus Henrici, commissarii episcopalis. Gerardus, ut videtur rogatus consilium, fuse exponit quid èt de Johanne èt de singulis ejus rebus sit faciendum.

Ante omnia vult commissarium certum esse de vera sontis poenitentia. Quam ob rem praescribit sex „satisfactionis legitimas et salubres partes," quibus est obtemperandum. — Deinde persuasum sibi habeat Johannes, omnia remissa non sufficere ad restituendum malum vel ad satisfaciendum ecclesiae. Ecclesiae nihil ad extra lucratur. Ecclesia sancta, militans, spiritualis laetatur tantum in eo, quod ipse Johannes, ita agens, aliis suadet ne reditus illicitos ad vitam sibi parent. — Tandem auctor statuit, quid, se judice, agendum sit de libris, de agris, de supellectili, de rebus pretiosis, de vestimentis, de domibus et de pecuniis quae ex hisce omnibus provenient.

Procul dubio hae literae referri debent ad tempora, quibus Gerardus auctoritate etiam apud episcopum Trajectensem adhuc pollebat. Igitur anno 1383 sunt antiquiores.

### Ad dominum Henricum de Scoenhove de Gouda.

Alpha et omega, a quo omnia veniunt, ad quem omnia tam naturaliter quam per gratiam reducuntur,

*Ad dominum Henricum* cet. Hic natus erat in Hollandia prope Schoonhoviam urbem. Magnus erat praedicator, verus mundi divitiarumque contemtor, devotus sacerdos, confessor sororum Swollensium. Obiit Swollis anno 1410; sepultus est in templo Windesemensi. Successit ei Johannes Haerlem. Vid. de eo Chron. mont. S. Agn. p. 168, 169; Chron. Wind. p. 398; Rud. Dier de Muden in Dumb. Anal. I. p. 14, 28.

dirigat quae inchoavit, compleat quae direxit in Christo Jesu, Domino nostro.

Primo quaeratur ab eo, si omnia sua libere resignaverit ad manus commissarii episcopalis, ut secundum dictamen juris divini et humani et secundum arbitrium viri boni ipse commissarius omnia libere disponat. Habito illud ad ea, quae secundum exigentiam malorum praeteritorum requirit aequitas divina et sancta Dei ecclesiae constitutio. — Secundo, quod doleat quod ita vilipendit spiritualia et sacramenta Christi et maxime trinitatis mysteria et ministeria sancta, quae omne pretium et omnia temporalia excedunt, et quae ducunt ad vitam gratiae et gloriae, ad quae temporalia omnia ordinantur, respectu quorum temporalia nullam omnino proportionem nec valorem habent. Doleat quod ista ita vilipendit, et prae eis temporalia elegit et praeelegit, et posuit ista quasi media et organa et instrumenta sua finaliter ad temporalia, ut ad finem suum ad temporalia acquirenda, et hoc ita manifeste fecit, ut omnibus suus quaestus turpissimus manifeste appareret. Unde procul dubio plurima scandala sunt exorta, et plures oves spiritualiter sunt neglectae vel occisae vel infirmatae. — Deinde ante omnia imponatur sibi, ut de cetero tale nefas mercenaritus et quaestus coram Deo simoniaci nullatenus

*Primo quaeratur ab eo*, i. e. a Johanne, de quo tota epistola agit.

*Habito illud ad ea*. Lege *habeto*. Sensus hic est: attende ad id, quod primo loco statui, in omnibus quae cet.

*ut ad finem suum ad temporalia acquirenda*. Ita interpretatur verba quae praecesserunt: *finaliter ad temporalia*. Fere putares esse glossam, quae dicitur, antea in margine scriptam.

*tale nefas mercenaritus*. Sic Codex. Vocem *mercenaritus* et apud Du

committat, et ut in suis ecclesiasticis ministeriis, in celebrationibus, praedicationibus et sacramentorum administrationibus prae oculis gloriam Dei et Deum habeat, et intendat ecclesiae sanctae constructionem, et lucrum spirituale in eis quaerat principaliter et praetendat. Haec enim contritio cordis requirit. — Quarto consulatur sibi, ut causas et occasiones, quibus posset appropinquare aut relabi ad pristina mala, longius fugiat, ab eis se removeat. Et hoc est satisfactionis magna pars. — Quinto consulatur sibi, ut in suis officii executionibus, sive in missis, sive in praedicationibus, sive in administratione sacramentorum, quolibet tempore, et maxime in componendo novo statu, aut in capiendo aliquod beneficium aut aliquod spirituale officium, perpendat et perspiciat medullitus, cur et propter quid hoc faciat aut attentet, et quid moveat ipsum in hoc et imperet sibi ad hoc. — Sexto consulatur sibi, ut omnem speciem mali in istis fugiat, et exhibeat jam se organum et membrum executionis spiritualis ad justitiam spiritualem publice et aperte, suaque mala praeterita, quae manifesta fuerunt et sunt, publice condemnans et dolendo manifestans, ut sit odor suavitatis Domino apud alios mercenarios quaestuosos. Sed occulta sua non nisi secretis amicis aut medicis suis revelet; maxime illa, quae alios scandalisare valerent,

Cange et apud Fabrum et apud Diefenbach (Glossarium Latino-Germanicum. s. supplementum lexici a Du Cange conditi, Francof. 1857) frustra quaeras. Attamen conjectura opus esse non puto, sed *mercenaritus* idem indicare atque *mercatus* arbitror.

*in celebrationibus.* scil. missae.

*aliquod beneficium.* Vide. p. 68.

*ut sit odor suavitatis Domino.* Verba notissima, in V. et in N. T. aeque obvia.

occultet. Istae sunt satisfactionis legitimae et salubres partes.

Deinde dicatur sibi, quod, si sederent sancti patres judices (tale enim judicium requirit conscientia), qui et ipsi nos cum Christo judicabunt, ipsi judicarent quod omnia, quae ita turpiter acquisivisset, sanctae ecclesiae, in cujus praejudicium simoniam commisit, restituere deberet, et multa plura quam jam habuerit vel quod jam resignaverit. De quibus pluralioribus commissarius eum pro nunc supportet, quia paupertas et inopia possibilitatem excludunt, et hic, in quantum potest et debet, commissarius secundum potestatem clavium et commissionem sibi factam remittat et indulget, si in proposito suo sancto permanserit. Sed si ad pinguiorem et uberiorem exteriorum bonorum fortunam perveniret, ut ampliora quam victum et vestitum simplicem, quibus apostolici presbyteri contenti sunt, haberet vel acquireret, tunc consulat commissarius quod ipse dominus Johannes pro tunc consulat sanctos viros, qui, considerata ista indulgentia et remissione, tunc judicent aut arbitrentur quid et quantum et in quo et quomodo ipse tunc ecclesiae refundere debeat aut satisfacere. Et in hoc tunc consultores illi, quos ipse sibi bona conscientia dictante elegerit, habeant omnimodam arbitrandi potestatem.

Rursus ante omnia doceat eum, quod videat quod ecclesiae materiali non directe satisfit aut refunditur, si réditus suos ad vitam resignaverit, quia nihil lucratur

*De quibus pluralioribus commissarius eum ... supportet.* i. e. eum ferat; quae patiatur. Conf. Diefenbach, i. v. *remittat et indulget.* Lege *indulgeat.*

ad extra ecclesia; sed sanctae militanti ecclesiae secundum spiritualem saporem et directionem Spiritus in hoc aliqualiter applauditur, quod ipse acquisitis vult carere. Et in hoc ecclesia spiritualis laetatur, quod suo facto suadet reditus ad vitam non emendos, qui ab aliquibus magnis doctoribus illiciti judicantur. Et sunt procul dubio secundum sanum consilium, ut Innocentius, lucerna juris, testatur, cunctis Christianis dissuadendi. Et vere huic consilio moralis, naturalis et divina ratio mihi videtur consonare. Et quid amplius? Scio sanctissimam regulam esse Augustini in tam periculosis negotiis: dimitte incertum, tene certum, maxime quando accusat et repugnat temporale contra spirituale. Et si hoc cunctis Christianis consilium est sanum, quid tunc in presbytero, cui et licitae et justissimae negotiationes sunt prohibitae. Hoc ergo ponat sibi in satisfactionem, quod resignet omnes reditus in termino sibi a commissario praefigendo, et quod dicat in resignatione, quod non audeat ea in conscientia retinere.

Deinde libri sui sicut pauperi ad vitam concedantur

*ut Innocentius, lucerna juris, testatur.* Loquitur de Innocentio IV papa, qui mortuus est anno 1254. Tam peritus erat juris, praecipue canonici, ut inde „pater et organon veritatis" sit cognominatus. Gerardus Magnus non solum nostro loco „lucernam juris" eum vocavit, vero etiam in sermone suo contra focaristas (*Archief* II. p. 318), ubi haec: „usque ad tempora Innocentii IV, qui fuit doctor egregius et juris lucerna." Item Gerardus Zerbolt in libello suo qui inscribitur: De libris Teutonicalibus (Revii Daventria illustrata, Lugd. 1651, p. 43; van Heussen, Hist. episc. Dav. p. 89). Maxima in jure apud omnes valebat auctoritate. Edidit Commentarios s. apparatum super V libris decretalium Gregorii papae IX, quod opus saepius typis fuit mandatum.

*Scio sanctissimam regulam esse Augustini.* Ipsum locum in copiosis, quibus monachi Benedictini Augustini opera instruxerunt indicibus frustra quaesivi.

ex ea ratione, quia ecclesiae et sibi sunt utiliores in sua persona, quam in alia vel alteri. Sic etenim ecclesia triumphans cuilibet utilissima sibi tribuit, quia omne datum de sursum optimum est cuilibet. — Item vendat agrum vel agros illos, ut citius congrue poterit, et pecunias secundum commissarii arbitrium in aliquam notabilem et manifestam constructionem spiritualis ecclesiae refundat et ponat, ut inferius dicetur. — Item domestica instrumenta, supellectilia et utensilia teneat non superflua nec pulcra nec pretiosa ad quantitatem illam, ut sufficiant tribus personis, videlicet sibi et uni presbytero et uni ancillae, pro lectisterniis et utensilibus secundum sufficientiam christianam et humilem. Quaecunque autem plura sunt quam ad haec sufficiant, vendantur, et pecunia ponatur ad manus commissarii. — Item si quae curiosa aut pulcra sunt aut pretiosa aut inordinata, quae non decent sanctitatem domesticam, et alia instrumenta, si indigentia requirat ejusdem generis instrumentorum vel supellectilium, emantur viliora aut simpliciora, et pecunia, si superfuerit emtis vilioribus, ad manus commissarii ponatur. — Ceterum et vestimenta, si qua sint curiosa aut superflua aut pretiosa, in simplicem vestitum mutentur secundum arbitrium commissarii, et in commutatione si superfluxerit pecunia, ad manus ponatur commissarii.

De domo Daventriensi sic se habeat, ut nullatenus illam suam credat, sed commissarius assignet et adjudicet eam sanctis ecclesiae servitoribus, tam proprietatem et

*pro lectisterniis. Lectisternium* Romae fiebat, quum Diis placandi eos gratia lecti ad altaria sternerentur et epulum apponeretur. In medio aevo vox *lectisternium* significabat lecti apparatum vel lectum ipsum. Vid. Du Cange i.v.

dominium illius domus quam Wolterus inhabitat, quam usum et usufructum illius domus apud muros Daventriae. Sed ipsi domino Johanni inhabitationem istius domus apud muros, scilicet et quando, et non alias, voluerit Daventriae morari, assignet quousque vixerit, sicut pauperi et indigenti presbytero, Deo servienti. Et quando Daventriae esse noluerit, tunc servitoribus Dei et plene conversis eam ad inhabitandum concedet. Imo verius, ut in propriam admittat, salva locatione istorum qua de praesenti eam conduxerunt. Durante autem locatione praesentialiter inhabitantium, pensionem pecuniarum, post festum paschae deinceps derivantem, in subsidium locationis vel acquisitionis habitationis hominum spiritualium Daventriae ponet. Vel si ibi opus non fuerit, ad easdem res in Campen ponatur; et manifestus in hoc sit, quod hoc de eis ordinatum sit, vel quod hoc sic ordinavit ex causis conductionis ecclesiae sub annuo censu, ut gloria Dei et sanctitatis in eo manifestetur. Proprietatem et dominium domus suae magnae, in qua Wolterus habitat, quanto utilius poterit in commoditates hominum praesentium et futurorum Deo servientium laicorum aut clericorum ponet et ordinabit, sive ad illum usum resignando, sive

*scilicet et quando.* Ejice vocem *et.*

*Imo verius, ut in propriam admittat* cet. i. e. Vel, ut accuratius dicam, domus illa a commissario servitoribus Dei et plene conversis admittatur ita, ut jus eorum, qui (sic enim est legendum, non *qua*) in praesenti eam conduxerunt, non infringatur. Maneant illi in ea; sed pecunia quam solvunt ita adhibeatur, ut homines spirituales Daventriae inde aliam habitationem habeant. Et si iis opus non est, Campenses ad eundem usum illa pecunia utantur.

*et manifestus in hoc sit.* Lege *manifestum.*

vendendo et pretium in tales usus reponendo. Et ut breviter concludam, in his debet esse duntaxat Christi dispensator, et procurator fidelis spiritualium pauperum Christi, prout per hoc possunt dirigi in viam salutis, vel ad convenientem modum secundum Deum vivendi. Haec est realis ecclesiae spiritualis constructio per temporalia, et ad hoc sunt omnia temporalia sicut ad finem ordinata.

Item de pecuniis, quae veniunt de terra vendita aut de rebus venditis, triginta vel quadraginta antiqua scuta accipiantur et ponantur ad unam bibliam et ad unam

*triginta vel quadraginta antiqua scuta.* Vid. quae dixi pag. 79.

*ad unam bibliam.* De voce *biblia* vide quae annotavi pag. 81. — Ipsa res notatu dignissima est. Fide Thomae a Kempis ipsi Gerardo nostro magnus scripturas sacras legendi inerat amor (Vita G. M. cap. 13). In epistola ejus ad quendam religiosum tribulatum (vid. pag. 14) docet frequentem S. S. lectionem et meditationem sollicitis triplici modo succurrerre, quia èt pellit tristitiam èt docet militiam èt promittit coronam. In parvo ejus tractatu, quem edidit Thomas a Kempis et qui inscribitur: De sacris libris studendis, haec leguntur: »Radix studii tui et speculum vitae sint primo euangelium Christi, quia ibi est vita Christi." Deinde commendat epistolas Pauli et catholicas et acta apostolorum; Salomonis parabolas et ecclesiasten et ecclesiasticum; psalterium, libros Mosaicos, Josuae, Judicum, regum et prophetarum. — De hermeneutica ejus arte, ut hoc addam, loquitur Thomas a Kempis in libello suo Hospitale pauperum, cap. 2, et in Vita G. M. cap. 12. Sensum enim multiplicem et mysticum in S. S. verbis videbat. — S. S. lectio etiam apud Gerardi Magni amicos et discipulos multum valebat. Fratres Windesemenses quidem artem criticam in codicem sacrum exercuerunt. Omnes enim V. et N. Testamenti libros, variis bibliothecarum dioecesium diversarum et monasteriorum codicibus in unum recollectis ac diligenter examinatis, ad primam versionis Hieronymi fidem reducere conati sunt. Multos annos huic rei fidelissime operam navantes, tandem unum exemplum bene scriptum optimeque correctum composuerunt. Quod Capitulum generale auctoritate sua sanxit, statuens omnia singulorum Capituli monasteriorum biblia ad hoc unum esse corrigenda. (Chron. Wind. p.103—105). — Thomas a Kempis in opere suo De imitatione Christi,

Summam confessorum et ad alios libros, et in istis emtis libris habebit dominus Johannes tantum usufructum quamdiu vixerit, sicut pauper presbyter indigens hujusmodi libris, et proprietas et dominium istorum librorum erit servitorum Dei et manifeste ad Deum conversorum, sicut aliorum librorum suorum praesentium proprietas et dominium erit apud eosdem. Sed in jam habitis libris habeat potestatem permutandi sic quod eorum non diminuat valorem.

Similiter et utensilia retinenda et supellectilia. Quoad usum duarum partium, utatur eis sicut sibi a servi-

Lib. I. cap. 5, agit de lectione sanctarum scripturarum; in Doctrinali juvenum, cap. 1, de commendatione sacrae scripturae; in Valle liliorum, cap. 21, de claro intellectu sacrae scripturae. Et quid dicam de Gerardo Zerbolt s. Gerardo Zutphaniense, fratre domus Florentii Daventriae, Gerardi Magni fere aequali, qui anno 1398, aetatis 31, e vita decessit? Reliquit libellum De libris Teutonicalibus, in quo inter alia optime egit „de utilitate lectionis sacrarum literarum in lingua vulgari" (Ediderunt hanc operis partem Revius, Daventria illustrata, p. 41—55, et van Heussen, Hist. Episc. Dav. p. 88—94; omisit eam van Rhijn; brevem ejus conspectum exhibuit Delprat, *Broederschap van G. Groote*, p. 349—351; vitam Gerardi Zerbolt scripsit Thomas a Kempis; conf. Rud. Dier de Muden in Dumb. Anal. I. p. 47, 48, 50). Quid etiam tam multi sanctorum patrum commentarii illis temporibus descripti (Chron. Wind. p. 420, 421), nisi ipsa S. S. a clericis frequenter lecta fuisset? Neque solum a clericis, verum etiam a monachis, a monialibus, a beguinabus, a laicis plurimis (vid. W. Moll, *Johannes Brugman*, I. p. 39, 49). Ita arguitur error eorum, qui, nescio quibus opinionibus praejudicatis adducti, docent illis temporibus S. S. plane in oblivionem abiisse. Certissime èt tunc èt postea multum legebatur, quamquam saepe male intelligebatur. De rei statu per seculum XV dignissimus est qui legatur J. Geffcken, *Der Bildercatechismus des funfzehnten Jahrhunderts*, Leipz. 1855, I. p. 5—10. Cui addantur N. C. Kist, *Nieuw Archief*, II (1854) p. 239—246, 400, et W. Moll, *De boekerij van het St. Barbara-klooster te Delft*, 1857, p. 18—25.

*et ad unam Summam confessorum.* Plures id temporis erant Summae confessorum, tam in confessorum quam in confitentium usum. Conf. J. Geffcken, l. l. p. 34—38.

toribus Dei concessis ad vitam; et quoad tertiam partem, teneat ea pro uno socio vel pro alio servitore Dei, si socium non habuerit, et tamquam ad eundem finem sibi a servitoribus Dei mutuatis, aut ut apud eum depositis. Proprietas autem et dominium omnium praedictorum utensilium et supellectilium apud praedictos erit Dei servitores in Daventria et in Campen; nec habebit posse, etiam in testamento, praedicta omnia aut domus aut etiam libros a praedictis alienare.

Item residua pecunia, a terra et ab aliis accepta, dominus Henricus disponet ad utilitatem servitorum Dei. Et in hoc accipiet Celiam consciam et accessorem; et secundum quod videbitur eis expedire, possunt, ad praesentem annum transeundum, ipsi domino Johanni aliquam quantitatem largiri sicut pauperi presbytero, si aliunde non possit haberi convenientius unde sustentetur. Et residuum summae reservetur ad dictamen domini Henrici et Celiae, si debeat ad utilitatem servitorum Campensium distribui, vel ad dictamen Florentii et Gerardi, si debeat ad utilitatem Da-

*teneat ea pro uno socio.* Lege *eam.*

*nec habebit posse.* i. e. nec habebit potentiam. Verbum *posse* saepissime sic adhibetur. Conf. Diefenbachi. v.

*Item residua pecunia*. Lege: *Item de residua pecunia.*

*dominus Henricus.* Hunc esse commissarium episcopalem, unusquisque videt.

*Et in hoc accipiet Celiam consciam.* Pro *consciam* legendum est *conscium.* Celia autem mihi videtur esse Johannes Cele, qui et ipse Swollis habitabat. Vide pag. 24.

*vel ad dictamen Florentii et Gerardi. Florentius,* cujus mentionem facit, est Florentius Radewijns, de quo vide pag. 60, 61, 65. — Quis fuerit Gerardus, de quo loquitur, me latet. Hoc tantum scio, eum non fuisse Gerardum Zutphaniensem s. Zerbolt, de quo modo locutus sim. Hic enim anno 1398, aetatis trigesimo primo

ventriae Dei servitorum deputari. Et in hoc prospiciatur indigentia major servitorum, et in cujus ecclesiae laesionem majorem quaestus simoniacus sibi commissus, quod ipsi domino Johanni melius constare poterit. Et forte bonum esset, quod dominus Johannes illam portionem pecuniae, quae sibi pro victu anni praesentis traderetur, ignoraret de suis venisse pecuniis. Et si hoc sit congruum, judicet dominus Henricus.

Omnia et singula, quae non plene hic determinata sunt vel specificata, judicio domini Henrici commissarii reserventur et illorum, quos voluerit ut accessores consilii assumere. Deus, qui est super omnia in omnibus, et qui solus omnibus sufficit, et in quo omnia habentur, sit cum omnibus nobis per omnia secula seculorum. Amen.

mortuus est, atque ita Gerardo Magno vivente etiamtum puer vel adolescens erat.

*et in cujus ecclesiae laesionem majorem quaestus simoniacus sibi commissus.* Pro *sibi* legatur *sit*.

---

## EPISTOLA XII.

### (Codicis XIV. Folio 132 v.—134 v.)

His literis Gerardus Magnus gravem oppugnat abusum, qui jam dudum in ecclesiam irrepserat, abusum dico quo munera ecclesiastica, imo animarum cura, parvulis mandabatur. Post multa de debita sacerdotum aliorumque clericorum aetate decreta, concilium Rotomagense anno 1074 presbyteris annum aetatis trigesimum vel saltem, necessitate urgente, vige-

simum quintum statuerat, quod statutum in concilio Melfitano anno 1089 Urbanus II papa firmaverat. At jam qui anno 1153 mortuus est Bernardus Claraevallensis in epistola sua XLII (Opp., ed. Mabilloniana, 1719, I. p. 477) haec habet memoratu digna: „Scholares pueri et impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad ecclesiasticas dignitates, et de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris". Idem in epistola CCLXXI (l. l. I. p. 266) amicum Theobaldum, Campaniae comitem, monet ne filium ob teneram aetatem ad dignitates ecclesiasticas promoveat. — Episcopi hoc modo agentes non solum optimatium sibi gratiam, verum etiam magnam fisco suo pecuniam quaerebant. Accedebat quod ecclesiae, minoribus natu ita concessae, donec hi ad debitam pervenissent aetatem, non semper a clericis sed etiam a laicis nonnamquam regerentur, uti apparet ex Alexandri III papae ad Cantuariensem episcopum anni 1169 decreto (Decretalium Gregorii IX, Lib. I. Tit. XIV. Cap. 2). Quid plura? Res non magis illicita quam consueta erat. Plura semper ad eam exstirpandam edita sunt decreta (Vid. Thomassini Vetus et nova ecclesiae disciplina, I. p. 448—450), quae omnia presbyteros ante vigesimum quintum aetatis annum non admittendos esse statuebant. Sic, ut ad seculum XIV et Gerardi Magni tempora veniamus, Clemens V papa in concilio Viennensi anno 1311: „Generalem ecclesiae observantiam volentes antiquis juribus in hac parte praeferri, decernimus ut, alio non obstante impedimento canonico, possit quis libere in decimo octavo ad subdiaconatus, in vigesimo ad diaconatus, et in vigesimo quinto aetatis suae anno ad presbyteratus ordines promoveri (Clementinarum Lib. I. Tit. VI. Cap. 3). Concilium Ravennense (anno 1314) et Andegavense (anno 1365) de presbyterorum aetate idem statuerunt. — Abusum etiam in patria nostra viguisse, epistola docet. Gerardum Magnum ei se opposuisse, etiamsi ex his literis non constaret, tamen pro certo habere liceret.

Scripta est haec epistola Daventriae. Nescio tamen ad quem et quo anno, etsi dubium vix esse possit quin pertineat ad tempora, quibus Gerardi multum valebat auctoritas.

## [De beneficio curato minori natu non deferendo.]

Domine etc. in Christo dilecte, narravit mihi frater vester, quod quidam, volens et intendens sibi quandam curam conferre in persona vestra, literas praesentationis aut collationis jussit conscribi, ut, quia frater vester minor annis curam habere non potuit, vos ad suam utilitatem et ad suum commodum curam teneretis, et ut, cum ad debitam aetatem a canonibus curae deputatam frater vester pervenerit, eandem fratri vestro resignaretis. Haec res est plena fraudibus, circumventionibus et collusionibus, in ecclesiae sanctae non modicum gravamen, in animarum vestrarum grande periculum, in juris divini et humani fraudem et detrimentum, nec non in scandalum plurimorum, qui hoc facto audito ad simile faciendum possunt stimulari, aut si abhorruerint factum hoc, prout omnes bene docti faciunt, in personas vestras foetorem scandali et nequitiam notabunt. Falsus pastor omnino est, cujus non sunt oves propriae; sed falsissimus, cujus non est cura vere sua aut propria,

*volens et intendens sibi... conferre.* i. e. ei. Vid. quae dixi pag. 18.

*quandam curam conferre.* Scil. curam pastoralem.

*literas praesentationis.* i. e. quibus ad munus illud ecclesiasticum habendum praesentaris s. commendaris. Conf. Du Cange i. v.

*aut collationis.* i. e. quibus munus illud tibi confertur, in te transfertur, tibi conceditur vel donatur. Conf. Diefenbach, Glossarium, i. v.

*quia frater vester minor annis.* i. e. infra vigesimum quintum aetatis annum. Vide quae praefatus sum.

*Haec res est plena... circumventionibus. Circumventio* est dolus, fraus; *circumvenire* est decipere, fallere. Vid. Diefenbach i. v; Fabri Thesaurus i. v.

sed solum simulata sua vel simulata propria. Falsum habet nomen curati, qui nec curat nec pascit, nisi simulate; sed falsissimus est curatus, qui nec curat nomine proprio, nec tondet nomine proprio, nisi simulate. Aut enim nomine proprio tondetis et pascitis, aut nomine alieno. Non nomine proprio, ut patet, nec nomine alieno. Nam si nomine alieno, aut ille est pastor aut non pastor. Si ille est pastor, non est frater vester, quia frater vester pastor et curatus esse non potest, ut canunt jura. Aut ille est non pastor, et nomine non pastoris intrare in ovile est furis vel latronis; et nomine non pastoris pascere est euangelisare sine missione; et nomine non pastoris tondere est lanas, id est emolumenta temporalia, ab ovibus, id est a subditis, injuste rapere, et non pastori, id est fratri vestro, tradere. Rursus vel vos estis pastor ovium, vel frater vester. Non frater vester, quia aetas sibi repugnat. Et si vos estis pastor, cur res ecclesiae et emolumenta non in utilitatem ecclesiae sed in sanguinem et carnem, sive fratrem vestrum, funditis; cur alius et non vos de stipendiis ecclesiae vivit; cur curam ad annos fratris vestri reservatis? Et si vere curam haberetis, quomodo eam fratri vestro, qui nec scientiam nec curam veri pastoris habet, nec adhuc habere potest, possitis resignare et caecas oves caeco committere? Aliud est quod agitis, aliud est quod literae

*Falsum habet nomen curati.* De voce *curatus* vide pag. 21.

*Nam si nomine alieno, aut ille est pastor.* i. e. aut frater tuus est pastor cet.

*id est a subditis.* De voce *subditi* vide pag 85.

*Nec curam veri pastoris.* Ni fallor scriptum est *curam.* Literae vero tantum non plane deletae sunt.

canunt vos egisse. Literae canunt velut testes mortui, vos esse pastorem, quibus curam tamquam vestram ab impetrantibus vel impetentibus defenditis. Veritas actionis praetensae est, cui et fama concordat, fratrem vestrum esse pastorem. Hoc collator aut praesentator intendebat; hoc et vos eandem curam acceptans praetendebatis, quamquam frustra, quia nec coram Deo nec coram hominibus ex defectu aetatis frater vester est vel dici potest curatus, nec fructus suos facere. Ergo cum literae omnino contrariae sint actioni praetentae, constat eas manifeste fore falsas tam in re, quam in jure, quam ex intentione vestra et conferentis. Et ergo vigore talium literarum falsarum undique non potest frater vester fructus suos facere aut futuram curam acceptare. Et quia actio praetensa in mente conferentis nullum jus fratri vestro conferre potest, imo aufert, quia contraria est juri, ergo nec sibi nec vobis coram Deo aut in jure licet fructus tollere aut curam reservare. Et quidquid tuleritis de cura vel vos vel frater vester, tenemini ecclesiae restituere. Et si frater vester non restituerit adhuc illa, quae frater vester per manus vestras aut per vestras literas vel earum virtute acceperit antequam rite absolvi potestis, tenemini restituere. In omnibus enim talibus casibus, ubi indirecte contra intentionem juris

*Hoc collator aut praesentator intendebat.* Vocum sensus patet ex supra dictis. Auctor nescit, utrum de collatore an de praesentatore sermonem facere debeat. Si de illo agatur, possessio jam concessa est; si de hoc, petitur ut concedatur. — *Collator* mox bis vocatur *conferens.*

*contrariae sint actioni praetentae.* Modo *praetenta*, modo *praetensa* in Codice legitur.

*In omnibus enim — circumvenire.* Sententia non bene ad finem usque procedit.

agitur, retentis verbis juris, ut hic supponitur, persona habilis ad beneficium curatum, cui videtur dari, cum tamen minori annis et inepte realiter datur, hoc est legis sententiam salvis verbis legis circumvenire, ut Pandectae, de Leg. senatusque cons. „Contra legem" et sequenti; et clarum est, quod omnis taliter rem acquirens vel fructus percipiens est fraudulentus et malae fidei possessor, qui tenetur de omnibus perceptis, imo et de omnibus quae percipi potuissent, restitutionem facere. Sunt multa alia pericula illis, qui voluntarie se ingerunt curis animarum, et maxime illis, qui non valent et praevalent scientia spirituali et moribus. Sed propter lucrum temporale principaliter alias non accepturos curam accipere, est vitium diabolicum et maximum, licet jam, diabolo in mundo dominante, valde commune est. Quis est jam rarissimus curatorum, qui curam animarum, si haberet aliunde vivere et si nihil temporalis curam sequeretur, diligeret? Maledicti pastores, qui pascunt se et sua quaerunt; non operantur in vinea Domini,

*ad beneficium curatum. Curatum beneficium* dicebatur beneficium sacerdotale, cui adstricta erat animarum cura. Vid. Du Cange i. v. Differt a beneficiis non curatis, quae hac cura vacabant.

*cum tamen minori annis et inepte* cet. Sic codex. Forte legendum est *inepto*.

*Pandectae* cet. Lib. I. Pandectarum, Tit. III de legibus senatusque consultis, Sect. I. Art. IV. § III. No. 22: „Contra legem autem facit, qui id facit quod lex prohibet; in fraudem vero, qui salvis legis verbis sententiam ejus circumvenit. — Fraus enim legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit; et quod distat dictum a sententia, hoc distat fraus ab eo quod contra legem fit. — Non dubium autem est in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem, nec poenas insertas legibus evitabit, qui se, contra juris sententiam, salva praerogativa verborum fraudulenter excusat."

*Maledicti pastores, qui* cet. Alludit ad Ezech. XXXIV. 8.

secundum Gregorium in homilia. Maledicti et ducentes in maledictionem luent poenas omnium malorum suorum subditorum; requiretur ab eis omne infirmum, omne confractum, omne dispersum secundum Ezechielem prophetam, de quo grandis posset fieri sermo et verissimus, tamen multis nostrorum temporum valde horribilis. Supersedeo de praesenti, quia resignari omnino oportet, ut praedicitur. Valete, dilecte, et agite sapienter in malitia temporum praesentium, et non sequamini multitudinem curantium, secundum doctrinam Salomonis, imo potius Christi, veri Salomonis, quem opto vos induere et renovari spiritualiter et huic mundo non configurari sed crucifigi. Scriptum festinanter Daventriae.

*secundum Gregorium in homilia.* In mente habuisse videtur homiliam XIX (S. Gregorii papae I opera, ed. Benedict. Paris. 1705, I. col. 1512).

*secundum Ezechielem prophetam.* Ezech. XXXIV: 10, 4.

*Supersedeo de praesenti* cet. i. e. in praesenti literis meis finem impono, scribere desino; res enim omni dubio vacat; agendum est sicut dixi. Conf. Diefenbach i. v. *supersedere.*

*secundum doctrinam Salomonis.* Ipsum locum frustra quaesivi.

---

## EPISTOLA XIII.

### (Codicis XXIV. Folio 143 r. — 144 r.)

Quidam Johannes Heyden, qui jam antea in aliis urbibus Judaeum se esse praetendens medicinam exercuerat, et deinde medici-Saraceni baptizati nomine Daventriam venerat, ecclesiae pastore praesente, de lingua, qua Hierosolymitani utuntur, et de arte medica a Gerardo Magno interrogatus, omnium quibus se jactabat ignarum se esse ostenderat. Hic a Gerardo Daventria expulsus proximo anno Harderovici degebat. Petit igitur Gerardus a fratribus Harderovicensibus, ut eum ejiciant et fugent, ita tamen ut neque occidatur nec mutiletur.

Ut hanc epistolam in lucem ederem, duplex me movit consilium: alterum, ut tempora ex ipsis temporum documentis cognoscerentur; alterum, ut confirmaretur quod tradidit Rudolphus Dier de Muden (Dumb. Anal. I. p. 2), Gerardum nostrum etiam medicinae peritum fuisse.

## Contra Johannem Heyden, qui se dicit medicum.

Indui justitia, ut sancti Christi de vobis uberius exsultent. Amici et fratres in Domino praedilecti. Caritas ad locum vestrum, ad communem utilitatem et veritatem cogit me, vobis de quodam vocato medico, pro nunc ut audio apud vos conversante, scribere, qui alias, credo duobus circiter annis elapsis, dicens se esse Judaeum, in Amsterdamme et in locis circumvicinis practicavit et adhuc non anno elapso veniens ad Daventriam, fimbrias ignorantiae suae et deceptionis suae dilatare praesumens de practica medicinae, sub nomine Saraceni baptizati et in Ierusalem nutriti, se audacius intromisit. Verum quia audivi processum suum in Hollandia totum fraudu-

*Contra Johannem Heyden.* Cognomen Heyden a vulgo ei datum fuisse videtur. Forte erat ex Aegyptiis illis, qui circa haec tempora in Gelria aliisque patriae nostrae partibus jam innotescere incipiebant. Conf. J. Dirks, *Het verblijf der Heidens of Egyptiërs in de Noord. Nederl.*, *Utr.* 1850, p. 39.

*Indui justitia.* Legendum puto: *indui justitia* vel *induite justitiam.*

*Amici et fratres in Domino.* Videntur haec verba spectare ad fratres Minores, quorum monasterium Harderovici anno 1339 conditum erat. Vid. J. Schrassert, *Beschr. der stadt Harderwyck*, ed. 2a. 1732, I. p. 50—53. Conf. Delprat, *Broederschap van G. Groote*, ed. 2a, 1856, p. 145.

*Caritas ad locum vestrum.* i. e. ad urbem vestram. Conf. Diefenbach, Glossarium, i. v.

*fimbrias ignorantiae suae dilatare. Fimbria* est limbus vel filum (Vid. Diefenbach i. v). Significant igitur verba nostra: filum ignorantiae extendere.

lentum et omnino extra limites artis medicinae, et quod in Vianen per Judaeum alium non Judaeus inventus fuit, et similiter percepi quae in Doseborch et quae in Zutphania sicut omnino ignorans aliquid artis agitavit, idcirco, cum ad Daventriam venisset, statim vocavi eum ad me in praesentia curati, et in faciem nostram dixit se Saracenum natum in Ierusalem, et usque ad tricesimum secundum annum aetatis suae in Ierusalem habitasse. Cum interrogarem eum, qua lingua utuntur illi de Ierusalem, respondit: Hebraea. Quod omnino falsissimum est, quia non loquuntur plus Hebraeum in Ierusalem quam in Colonia, quia loquuntur Saracenicum, lingua Arabica. Sic quod inveni eum in omnibus falsum et mendacem, et omnis linguae, excepta Teutonica, ignarum. Interrogavi eum de medicina, et in ea, sicut purus laicus, totum ignarum et nihil penitus scientem inveni, imo nullius scientiae. Et ea, quae practicat et dicit vera, magis audacia et praesumtione et diaboli juvamine dicit, sicut unus minister diaboli et familiaris. Et quamvis nigromantiam et alias putativas scientias ignoraverit, tamen ad minus secreta pacta, eo ignorante, facit cum diabolo, sicut phitonissae et sortilegi

*et similiter percepi.* i. e. *et* [*quia*] *similiter percepi.*

*lingua Arabica.* Mallem legere *linguam Arabicam.*

*sicut purus laicus.* Scil. esse solet.

*nigromantiam. Nigromantia* dicitur pro *necromantia* vel *necuomantia.* Haec autem est divinandi genus ex mortuis evocatis, inferorum consultatio. Fuit qui scripsit: „de *nigris* proprie nigromantia dicitur esse." Vid. Du Cange i. v.

*et alias putativas scientias.* Vide infra, pag. 118, 119.

*tamen ad minus.* i. e. tamen certe, saltem. Conf. pag. 66.

*eo ignorante.* i. e. se ignorante, vel melius: ignorans.

*phitonissae.* Sic Codex. Vox idem significat ac *phitones.* Annotavit ad

secrete fidem negant, eis ignorantibus, confidentibus in nihili, cum diabolo paciscuntur. Idcirco vos, Dei aemulatores, hunc inimicum fidei, hunc deceptorem corporum et vitae, hunc falsarium medicinae, hunc raptorem alienarum pecuniarum et deceptorem vulgi et innocentium, procul a finibus vestris et nostris expellite et fugate, et omnes fines nostros abjurare procurate. Hoc tamen cautissime custodite, ne propter literas meas et facta vel occidatur vel mutiletur. Ego expuli eum a Daventria, sumto per eum termino dierum quinque. Et nisi timuissem de irregularitate, et si potuissem, non sic evasisset, quia non revelavi eum nec scabinis nec judici.

Et vos, frater Henrice, scribatis mihi processum et actitata in Harderwyc a principio usque ad finem, quia oblitus sum praeteritorum, et quae supervenerunt ignoro, prout vobis dixi in Campen. Imo nec posse respondere me praedixi, nisi viso processu cum attinentiis omnibus et dubiis in scripto. Valete in veritate, amici veritatis, victores mendacii et patris ejus, stabiles et constantes contra omnem altitudinem, quae contra Deum, fidem sanctam et sanctam ecclesiam se extollit.

hanc vocem Du Cange: »*Phitones*, pro *Pythones*, Pythone spiritu afflati," et ad vocem *pythonizare* i. e. pythonico spiritu agi: »Certe *Phitones*, pro *Pythones*, non semel occurrit."

*eis ignorantibus*. Lege *et eis ignorantibus* i. e. et se ignorantibus, vel melius: et ignorantes.

*confidentibus in nihili*. i. e. confidentes nihili.

*Et vos, frater Henrice*. Nec scio quis fuerit ille Henricus, nec de quibus rebus cogitet scriptor.

# EPISTOLA XIV.

## (Codicis XXIII. Folio 216 r.—221 r.)

Gerardus Magnus Parisiis in studia incumbens sodali usus erat Rodolpho de Enteren, qui in urbe illa etiamtum degebat, quum jam ipse eam reliquerat. Hic astrologiae totum se tradens, quum librum, quo prae ceteris Albumasarem astrologum famosum refutaret, in lucem edere vellet, amicum consuluerat, qui his literis ei respondet. At idem Rodolphus, aliorum superstitioni erroribusque succurrere cupiens, ipse aes alienum sibi contraxerat, socios pravos frequentaverat. Etiam hac de re Gerardus agit; amicum peccantem non minus severe quam humane reprehendit; egregrie et ita ut non possit Rodolphi animus non commoveri, eum alloquitur. Haec praecipue spectant ad epistolae initium et finem.

Auctore Thoma a Kempis (Vita G. M. cap. 13) fama ferebat Gerardum in astronomia et necromantia versatum fuisse, eumque, antequam mores suos mutaverat, „quaedam magicae artis praestigia actitasse." Idem autem addit multa non vere ei imponi; hanc artem eum didicisse, libros de ea legisse et habuisse, magicam autem levitatem non exercuisse, eumque, quidquid vanitatis et contagionis e scientia sua olim contraxisset, morbo implicitum coram sacerdote omnes illicitas artes resignasse librosque igni comburendos tradidisse (Conf. Rud. Dier de Muden in Dumb. Anal. I. p. 2). — De necromantia ejus et magicae artis peritia epistola nihil habet. Ostendit autem, quid de astronomia èt antea èt postea senserit. Docet eum primum Albumasari in multis adhaesisse, sed deinde hujus erroribus magis quam Ptolemaei vere dictis ab astronomia fuisse deterritum. Unde concludit, melius esse tales non tollere errores, quippe quod magis tendit ad exstruendam quam destruendam astronomiam. Deinde egregie animadvertit superstitiosos et ignorantes non libris de astronomia, sed ipsorum superstitione decipi; non multum differre, utrum mens superstitiosa sua quaerat in libris Albumasaris an aliunde petat. Mentia igitur

superstitionem et diffidentiam sanandas esse. — Itaque opus, quod suscipere Rodolphus cogitat, a Gerardo non valde utile judicatur. Quodsi non scribere non vult, ne oppugnet singula, quae e principiis Albumasaris deducuntur, sed ipsa principia. Tantummodo ne consumat quadragesimam instantem in scribendo contra Albumasarem, sed in fletu ac gemitu et in meditatione vitiorum.

Epistolae nostrae mentionem fecit Rud. Dier de Muden (Dumb. Anal. I. p. 29) his verbis: „Qui magister Rodolphus fuit socius magistri Gerardi Grote in studio, ad quem magister Gerardus scripsit epistolam." Ceterum eam esse ex antiquissimis, quae Gerardi ad nos pervenerunt, pro certo habeo. Plura vero in eam menda irrepserunt.

## Ad magistrum Rodolphum de Enteren.

In Christo praedilecte, recepi vestras literas prima Februarii, in quibus excusationes, quibus ad permanendum Parisiis movebamini, in quantum me respiciunt, omnino acceptas habeo, nec aliud quidquam desidero nisi quod vestrae saluti proximius est. Ex literis vestris veniendi desiderium et lapsum vestrum intellexi, et ob hoc disposui ad adventum vestrum, etiam cum missagius praesens fuerit. Casum habeo in quo unum de

*Ad magistrum Rodolphum de Enteren.* Iis quae de eo jam dicta sunt addo, eum postea fuisse pastorem in pago Zelandiae Kruiningen, ubi maxima erga pauperes beneficentia utebatur (Vid. Rud. Dier de Muden in Dumb. Anal. I. p. 29).

*Parisiis.* Codex hic et ubique ubi hoc nomen occurrit, utitur voce indeclinabili *Parisius.* Conf. quae annotavi pag. 18.

*veniendi desiderium.* i. e. veniendi ad me desiderium.

*missagius.* Ex iis quae infra in hac eadem epistola leguntur: „Mittatis mihi copiam rei compositae per praesentem missagium" efficerem, vocem significare *nuntium.* Conf. Gall. *messager.* Neque a Du Cange neque a Diefenbach vox recensetur.

*Casum habeo in quo.* i. e. causam habeo cur.

meis fidelibus praesentem admodum concupivi, non ad negotiandum sed consulendum. Sed quia Deo sic non placuit, vel permisit ut maneretis, idem mihi placet. Potens est Deus ubique gratiam suam abundare et ex deterioribus optima elicere. Nullus mihi utilis est, nec ego alicui, qui vellet curiosa vel mundi jactantiam sectari. Ars oblivionis in pluribus mihi utilior esset quam memoriae. Multa etiam eorum quae, cum mecum essetis, collegi, jam mihi fastidio sunt. Et quia vos praesentem non habeo, ideo latius, in quantum mihi videtur salutiferum, vobis scribo, et latius rescribi postulo. Et cum mihi rescriberetis, desiderarem quod singulis contentis in meis literis responderetis, ponendo eas juxta vos in rescribendo. Et forte mihi melius esset quod cor meum percuterem, si scirem, et quod me ipsum non egrederer et Domino omnes annos meos recogitarem in amaritudine animae meae, quam scriberem aliis, me ipsum negligens, et aliorum vitia, nescio quo desiderio, curare cupio, qui totus in sordibus volutor. Timeo quod aliquid carnalis subjaceat affectui, sicut assolet et in omnibus meis invenio. Unum est de quo vehementer admiror, quod videlicet teporem et elapsum a virtute tam conquerimini, et tamen aliis et non vobis succur-

*ut maneretis.* Scil. Parisiis.

*ubique.* Etiam Parisiis, ubi gratia divina Rodolpho valde opus erat.

*qui vellet — sectari.* Cogitando adde: sicut tu.

*Multa.* Praecipue accipiendum videtur de libris magicis et astrologicis, quos Parisiis legit et habuit, postea autem igni tradidit (Thom. a Kemp. Vita G. M. cap. 13).

*Et forte — invenio.* Consulto hanc confessionem opponit agendi rationi Rodolphi, qui aliis, non sibi succurrere studet, et aliorum errores, non suos mores corrigere conatur.

*si scirem.* i. e. si scirem id percutere.

ritis. Sine dubio si dolorem infirmitatis vehementem sentiretis, si vobis actualiter aeternum instare periculum nosceretis, si continue mundi inania, carnis consueta et spirituales nequitias vos vehementer pungere, urgere, stimulare et trahere, etiam in actu quantumcunque bono adverteretis, numquid ad alios sanandos vel a periculis liberandos ante vestram sanitatem curreretis? Sed heu, heu, dolor insensibilis est, timeo. Quis integram hiemem Albumasarem, ut scripsistis, consumeret, sua sentiens, et dolens infirmitates tam magnas, et tam grandia sui timens pericula? Quis non errorem Albumasaris et suum librum, virtutes aemulans, despexisse quam perlegisse èt subtililius èt utilius reputaret? Rogo quid vobis praecipitur, nisi diligere Deum ex toto corde etc. et proximum sicut te ipsum, sed non ultra vos ipsum nec ultra Deum. Videmini namque plus aliorum errores, quam vestros mores corrigere. Vobis

*Albumasar.* Erat hic famosus astrologus Arabicus. Nomen ejus apud occidentales est Albumasar (Abu Maschar), apud orientales Djaphar Ben Mohammed Ben Omar. Erat natione Persa Balkhensis. Vixit ab anno 805 u. a. annum 885 post C.N, quamquam fama fert eum mortuum esse in urbe Vaçetha, postquam plus centum annis lunariis implevisset. Scripsit opera astrologica permulta, quorum Casiri (Bibliothea Arabico-Hispana Escurialensis, Matriti 1760, I. p. 351, 350, 352, 371) quadraginta duo enumerat. Opus ejus prae ceteris celeberrimum est Liber millenarius, ubi de mundi initio et fine ex planetarum motu disputat. In quanto honore fuerit, inde etiam apparet, quod octo tractatus ejus annis 1489—1515 quater typis mandati sunt. Celebratissimum fuit apud Mohammetanos vaticinium, quod habet liber ejus Prognostica simulacrorum coelestium: Mohammetanos, si eorum religio ad annum Egirae millesimum permansisset, Hispaniarum imperium haud dubie recepturos mense Genadi anni Egirae 1091, Christi 1680" (Vid. Casiri l. l. et Jourdain in opere *Biographie universelle anc. et mod.* i. v.)

*vobis mores — sunt.* Si aliis vis prodesse, mores utiliores tibi sunt quam scientia. At forte legendum est *prae*, non *pro*.

mores pro aliis scientia utiliores sunt. Numquid plures scientia mundana inflat? Numquid scientia, quae opponitur erroribus Albumasaris, carnalis est? Et credatis mihi, quod omnis talis non nisi quaedam carnis confricatio est, quae carnem fovet et nutrit leniter contractata, sed subtilius et compressius vires et spiritum exhaurit. Inimica est haec sapientia Deo, nec Deo nec legi Dei potest esse subjecta. Numquid cum Ecclesiastes se cuncta investigasse sapienter quae sub sole fiunt dixisset, subjunxit: hanc occupationem pessimam dedit filiis hominum Deus, ut occuparentur in ea? Dico vobis, ut et Hieronymus dicit, quod ad haec curiosa redire est filios Israel et fideles Christi redire in Aegyptum. Ad quid alios scientificos facere vel ab erroribus liberare? Propter Deum, vobis mens et superficies mentis mentitur. Aliud saepius in imo cordis per spiritualem nequitiam latet, aliud in superficie, ut dicit beatus Gregorius et experientia docet omnem hominem, qui se diligenter advertit. Apparet, si tantum propter Deum ista faceretis, primo quid Deo placeret, quid vobis praecepisse noscitur, adverteretis. Notum est hanc rem non cadere sub praecepto Dei; sed miserere animae propriae et sic placere Deo, declinare a malo et facere bonum, orare et diligere Deum ex toto etc., vitiis resistere et illa cognoscere et humiliari sub potenti manu Dei, est

*Inimica est haec sapientia Deo* cet. Alludit ad Rom. VIII: 7.

*hanc occupationem* cet. Eccl. I: 13.

*ut et Hieronymus dicit.* Nescio tamen quo loco.

*ut dicit beatus Gregorius.* Neque in hoc loco quaerendo felicior fui.

*Apparet — adverteretis.* Verbum *adverteretis* pendet a verbo *apparet.*

*Notum est — est praeceptum.* In mente habuit 1 Petr. III: 11; Matth. XXII: 37; 1 Petr. V: 6.

praeceptum. Quis volens placere regi, quod non vult facit, et quod praecipit instanter et ad quod eum continue hortatur negligit? Mens propter Deum hoc simulat facere, quod Deo minus placet, negligens placitum. Sed quod Deum non quaeritis timeo, sed vos. Imo non vos, ut verus philanthropes secundum animam vestram aeternam se quaerit, sed vos secundum quandam passionem inanis gloriae, quae in fundo latet, ita moventem et se per Deum colorantem. Non dico tibi quod actus ille ordinabilis non sit in Deum, sed per imbecillem et infirmum ut ego sum, cui tam rigide semper de propria salute et periculis necessarium est sollicitari, non contingit eum in Deum recte ordinari, nisi cum multis circumstantiis. Primo ut Deum et suam sanitatem quaerat, et in ipsis acquirendis, propter importunas cogitationes vel vexationes tentationum etc. instantes, ad ista se vertat, non quia talia, sed ad temporis redemtionem et ad otia vitanda et pejora, quae animae ingeruntur, vincenda. Sic manibus laborare, sic palmas plecti etc. meritorium valde est. Et tunc potest homo sic languidus, de suo

*Imo non vos* cet. Sententia intelligi nequit, nisi voces ita permutes ut *se quaerit* praecedat voces *secundum animam vestram aeternam: Imo non vos, ut verus philanthropus se quaerit, secundum animam vestram aeternam, sed vos secundum* cet.

*philanthropes*. Sic Codex.

*Non dico tibi* cet. Haec sibi vult: Non dico, agendi rationem tuam a via divina plane recedere, sed imbecillis et infirmus ut ego non potest eam divinam habere, nisi cum magna definitione. Et jam 1°. ita fiat ut mens, quae non semper una et eadem re occupata esse aut potest aut debet, inde relaxetur et reficiatur; 2°. cavendum est ne, existimatione et honore hominum allectus, superbiat animus.

*Palmas plecti*. *Palma* est pila; dicitur ita, quia pila percutitur palma. Conf. Gall. *jeu de paûme*. Vid. Du Cange i. v. *Palmas plecti* igitur est: pila ludere.

antidoto aliis minus infirmis ministrare, postquam haec eis porrigere et manu tribuere, sibi ne pejora faciat, suffragentur. Sed totum tempus vel majorem partem tribuere, se et vitam est effundere. Item quia inanis gloriae vos cupidum sicut et me cognosco, bonum vobis fuisset, ne animus superbiret et inficeretur et alliceretur reputatione hominum, quod sic eum fecissetis ut a vobis venisse non sciretur. Sed hoc etiam mihi displicet, quia scribitis propter verba, quae facta sunt de illis, quod ideo oportuit incipere. Statim in verbis apparet, quid fundus cordis intendit. Hoc firmiter puto, quod multos errare profuit, ut Augustinus dicit et verum est. Sed hoc praecipue horrere facit astronomiam, quod tot errores in ea inveniuntur. Unde, secundum Augustinum, propter falsos errores ejus eam mendacem asserunt. Ad ejus igitur destructionem plus proficit quod falsi sunt libri, quam quod accuratae veritati appropinquarent. Quid putatis, si per aperta falsa diabolus tantum homines decipit, sicut per ea quae veritate colorata sunt? Aestimatis ne, si non tales falsitates sicut Albumasaris et similium invenissem, adhuc forte catena astrorum retentus fuissem? Quid mihi proficit magis,

*sibi ne pejora faciat.* i. e. dummodo ne ita agens sibi ipse noceat.

*quod sic eum fecissetis.* i. e. librum, quem scribere Rodolphus sibi proposuerat. Vide infra.

*quia scribitis. Quia* pro *quod* saepius legi, jam dixi pag. 81.

*quod multos errare profuit.* Sic Codex.

*ut Augustinus dicit.* Verba inscius ipse noster detorsit. Sunt enim haec: „Itemque nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum, non in via morum" (Opp., ed. Benedict., Antv. 1700, VI. col. 148).

*Unde, secundum Augustinum.* Fortuna mihi quaerenti non favit.

*aperta falsa.* Lege *aperte falsa.*

creditis, vel Albumasaris et similium error, vel palliata frons Ptolemaei, ad astronomiam dimittendam? Sine dubio magis erroribus abstractus ego et alii sumus. Annihilare igitur errores vel tollere, plus est astronomiam aedificare quam destruere. Quanto namque a veritate longiores et plures tales in astrorum scientia sunt, tanto pauciores inficiet. — Si diceretur mihi: multos superstitiosos et ignorantes decipiunt tales libri, dico quod principaliter non decipiunt, sed diabolus et superstitio, mens superba aversa a Deo, volens ea cognoscere, quae non potest scire, et quae sibi non proficiunt ad vitam, nec ordinat actus suos in Deum, nec confidit in Deo. Imo tam longe per diffidentiam filii illi diffidentiae a Deo recedunt, ut magis conjecturae modicae falsissimae, vel humanae vel coelesti credunt factis, quam Deo. Talis mens faciliter labitur ad libros Albumasaris vel aliorum, vel in phitonem, ut Saul, vel ad quaecumque modicae veritatis et superstitiosa. Et sic ipsis libris Albumasaris accredere est ex defectu confidentiae in Deo. Videmus namque hos qualiter credunt in minima ligatura, in carceribus, in imagine, in miris,

*Ptolemaei.* Necessarium non videtur aliquid addere nomini jure celeberrimo Claudii Ptolemaei, geographi et astrologi totius antiquitatis primarii, qui Pelusii in Aegypto natus, Alexandriae vitam degit imperantibus Antonino Pio et Hadriano.

*ut magis conjecturae — quam Deo.* i. e. ut majorem in futili et falsissima opinione, vel in hominibus et stellis, quam in Deo fidem ponant.

*phitonem.* Vid. pag. 109.

*in minima ligatura. Ligaturae* seu etiam *alligaturae* dicebantur amuleta quaedam ad arcendos et depellendos morbos, quae aut e collo suspendebantur, aut aliis corporis partibus alligabantur (unde nomen). Vid. Du Cange i. v. et Fabri Thesaurus i. v. *phylacterium.*

*in carceribus.* Sic Codex. Vocem neque intelligo, neque ei conjectura probabili succurrere possum.

*in imagine.* Videtur vox *imago*

in arte pyromantica, in nominibus personarum. Et sic semper cadunt in reprobum sensum ex eo, secundum Apostolum, qui Deum non curaverunt habere in notitia. Et certe numquam vidi Albumasarem nigromanticum vel astronomicum, quin ex se totus fuit mendax. Et certe didici ex astris mentiri etiam in agibilibus, et hoc certe, si computaretur per singulos, est mirabile experimentum. Et vos etiam partem vestram reportastis, qui etiam ad pejora praestigia pellitis et lapsus eratis.

hoc loco significare quodvis phantasma. Conf. Fabri Thesaurus i. v., ubi haec: »Sed et somnia seu visa spectraque, quae εἴδωλα Graecis et φαντάσματα appellantur, vocantur *imagines*." Conf. Diefenbach. i. v.

*in miris*, in rebus mirabilibus, miraculosis.

*in arte pyromantica*. Pyromantica jam apud veteres erat divinatio ex igni.

*in nominibus personarum*. Non necesse est aliquid addere. Sed quam fatue id temporis nomina interpretari solerent, apparet ex Thomae a Kempis Vita Gerardi Magni, ubi in capite primo »de ortu et interpretatione nominis ejusdem" haec leguntur: »Dicitur namque Gerardus, quasi gerens artis... Vel dicitur Gerardus, quasi gerens ardorem... Vel recte jam tertio Gerardus vocatur, quasi gerens ardua." Vel ex Chron. Wind. p. 36, ubi haec: »Loquamur pauca super hoc nomine Windesem, non enim sine grandi mysterio primum et principale omnium ordinis nostri monasteriorum in hac regione nostra reformatorum tale sortitum est nomen, praesagium futurorum, ut in syllaborum discussione clarius innotescet. Tres enim habet syllabas, Teutonicam, Latinam, et Hebraicam... et est sensus *Win de sem*, id est: Tu qui es de Sem, lucrare, hoc est: Tu conventus Windesemensis fac lucrum Christo." Alia syllabarum etymologia habetur p. 38: »Windesem, id est vinea Dei sempiterna; haec interpretatio radicaliter et virtualiter in hoc nomine Windesem inclusa, non humanae adinventionis, sed divinae ordinationis exprimit sacramentum." — Sed jam satis de his nugis, quibus e Vita Thomae a Kempis, cap. 1, 2, e Vita Florentii Radewijns, aliis, plures addi possent.

*qui Deum*. Lege *quod Deum*.

*secundum Apostolum*. Rom. I: 28.

*Albumasarem nigromanticum*. De voce *nigromantia* vel *necromantia* jam dixi pag. 109.

*in agibilibus*. i. e. in negotiis, in rebus, in agendis, in vita practica. Conf. Du Cange i. v.

*praestigia*. Apud classicos *praestigiae* dicuntur fallaciae, delusiones. Vox neutrius generis *praestigium* est recentioris aetatis et significat falla-

Unde non multum differt, si mens curiosa et superstitiosa suam quaerat superstitionem in libris Albumasaris vel alibi. Unde, si scientifici fuerint, ut praedixi, propter hoc, quia approbari falsos videntur libros, totam incipient astronomiam abhorrere, et per consequens ipsos libros dedignabuntur; si reprobi et ignorantes, nec vobis in reprobando consentient, quia non intelligent; ubique etiam pejora quaelibet suae superstitioni possunt satisfacere, invenient. Numquid videtis quos noscitis omnino ignorantes nec legitime fundatos in astronomia, magnum nomen in studiis reportare? Et quicumque sibi nomen divini assumere vult, multos habebit auditores. Mentis igitur superstitio et diffidentia sananda est. Qua data, errare plus facit ad reditum ad Dominum, et compelluntur redire ad ipsum, impingentes oculos mentis in erroris latebras manifestas. Et quidquid est ultra superstitionem et diffidentiam, in quantum falsis pro veris credunt, error est in via pedum et non in via morum.

Haec omnia disserui, ut non aestimaretis opus futurum tam utile ut creditis: imo grossioribus cibis utendum

cias, monstra, res magicas. Conf. Fabri Thesaurus i. v. *praestigiae*. Thom. a Kemp. in vita G. M. cap. 13: »Fertur quoque quod idem magister in astronomia et necromantia tritus fuerit et, antequam conversus esset, quaedam magicae artis *praestigia* actitasset."

*quia approbari falsos videntur libros*. *Quia* etiam hic significat *quod*. Pro *videntur* lege *vident*.

*Numquid videtis — auditores*. Mordens ironia.

*nomen divini*. Vocem *divini* accipe de hariolo, de augure, quam significationem jam apud classicos habet.

*Qua data*. i. e. sanatione data.

*error est in via pedum et non in via morum*. Conf. Augustini verba supra allata, p. 117.

*opus*. i. e. librum, quem de astrologia scribere volebat Rodolphus.

esset, quibus et ego ad vulgus et ad dominos scribens aliquando utebar. Vae mihi, quod umquam aliquid scripsi de talibus, licet ex post non vidi conclusionum figuras. Sed apud dominos ventilare, sed relationum, sed quid? Illo tunc Albumasarem non tam ignorantem scivi et sibi in multis adhaesi, sicut postea sive ex figuris relationum sive ex figuris conclusionum superiorum impossibilibus, sed non aequa judicia. Imo et si ex eclipsibus sumantur, modicum refert ad mentis diffidentiam, ad superstitionem resecandam.

Mittatis mihi copiam rei compositae per praesentem missagium, si perfecta sit; si non, in genere quas conclusiones probare intenditis et quomodo in genere. Caveatis ab illo capitulo almatici, in quo de quantitate anni determinat, et ubi finis, ne nimis verbis assentiatis suis in illis locis, sed calliditatem suam caveatis. Sic

*quibus et ego ad vulgus et ad dominos scribens.* Nescio quando vel qua occasione.

*Vae mihi* cet. Ex hoc loco apparere videtur, Gerardum antea de astrologia scripsisse. Thom. a Kempis de hac re ne verbo quidem loquitur, nec aliunde quidquam mihi innotuit.

*licet ex post* (i. e. postea) *non vidi conclusionum figuras. Conclusionum figurae* et quae mox dicuntur *relationum figurae* videntur esse constellationes in charta delineatae, ex quibus siderum et praecipue planetarum inter se relatio appareat, et unde conclusiones desumantur.

*sed apud dominos — sed quid?* Fateor me haec verba non bene intelligere. Iterare videtur quae jam dixit, ut indicet se omnia, quibus antea usus erat, nunc despicere. Si verba corrupta sint, nescio quomodo iis mederi possim. Idem valet de iis quae sequuntur.

*Illo tunc.* Lege *illum tunc.*

*copiam.* Gall. *copie.* Conf. pag. 90.

*per praesentem missagium.* Vide supra, pag. 112.

*si non* cet. i. e. si nondum perfecta est, scribas mihi universe, quas conclusiones probare intendas, et universe quomodo hoc facere tibi propositum sit.

*Caveatis ab illo capitulo almatici.* Sic inscriptum erat caput quoddam in libris Albumasaris.

similiter observationibus ubique Ptolemaei cavete. Item de motibus et uniformitate vel difformitate et moventibus vel orbibus vel principis motus nihil interseratis. Cavete et hoc, quod in multis philosophorum libris certa est res, quod hoc in astronomos latere possit, quia omnes in locutione sunt versipelles.

Item non contra judicia quidquam, quae sumuntur ex principiis Albumasaris, sed contra principia solum scribatis. Caveatis etiam ne ex illis, quae geometrice faciliter improbantur, ut ex illis omnino credatis vel infinita judicia destruxisse; quia vera judicia, si qua vera duci possunt, sunt valde grossa, et grossiora quam credantur, sunt.

Ceterum vehementer constringit cor meum lapsus vester, unde supplico quantum possum, ut extra domum Domini non pernoctetis et quod vitetis omnes communium civitates, sed in domo Domini etc. Et omnino maxime supplico, ut istam quadragesimam non in scribendo contra Albumasarem sed in fletu et gemitu, in consideratione propria et vitiorum et aeternae patriae et in timore Domini et in ejus dilectione, quae est prima et ultima, consumere dignemini.

Intellexi a Parisiis et literis et aliis vestris, qualiter in societates et in debita relabimini, et vos oneratis vos contra Deum et vos ipsum. Etiam rogat ut vobis scriberem quod

*vel principis motus.* Pro *principis* lege *principiis.*

*quod hoc in astronomos latere possit.* Sic Codex.

*quadragesimam.* Festum paschale igitur non valde remotum erat, quum haec epistola scriberetur.

*Etiam rogat* cet. Non dicitur quis roget. Johannes Lubberti mihi videtur fuisse „missagius" s. nuntius

Johanni Lubberti pecunias, quas a Lamberto concessistis, reddatis, et magister Henricus Monic pro eodem me rogavit. Unde supplico ut omnino Johanni integre solvatis, quia pecunia pauperum est sine dubio. Unde in me deliberavi, videns et timens pressuram cordis vestri, et inter duo mala quid minus esset consideravi (quod nec illud minus malum esset, quamvis et aliquantulum verecundiae puerilis), utrum domino scriberem ut vos eximeret, vel maneretis sicut ante. Quamvis invite fecissem, tamen hoc feci virtute, et dimisi furorem. Et rogo coram Domino, si dominus vos interroget, ut omnia debita sine verecundia et omnem vestram pressuram cordis sibi revelare dignemini. Potestis restituere per hunc modum. Et si non faceretis, non video quomodo peccatum dimittitur, nisi in quantum potestis, ablatum restituatur. Oportet vos primo reconciliari fratri vestro, antequam etc. Heu, heu, si tam puerilis essetis, ut aliquid domino celaretis, et sic diabolus vos deciperet, ut continue haberet quo cor vestrum premeret et quo conscientia vestra accusaret se semper! De illis recedat praesens verecundia modica, quae famam bonam reficit, et verecundiam, qua in conceptu Domini judicandi stabimus, minuitur.

ille, de quo bis locutus est scriptor. De ceteris viris, quorum nomina hic leguntur, nihil statuere ausim.

*quas a Lamberto concessistis.* i. e. quas a Lamberto mutuatus es. Perperam verbo *concedo* hoc quoque sensu usus est.

*Utrum domino scriberem.* i. e. Lamberto.

*Oportet vos primo.* Alludit ad Matth. V: 24.

*in conceptu Domini.* Lege: *in conspectu Domini.*

*minuitur.* Lege: *minuit.*

# THESES.

---

I.

Populi Israelitici historia pretium suum non habet e peculiari cura, qua prae ceteris illum populum prosecutus fuerit Deus, sed e modo vere pio, quo eam conscripserunt S. S. historici.

II.

Historiae ecclesiasticae patriae studium historiae ecclesiasticae universalis studio non postponendum sed potius anteponendum est.

III.

Quaestio de collisione quae dicitur officiorum ita solvi debet, ut statuatur collisionem illam objective quidem non esse, subjective autem omnino esse posse et saepius esse.

IV.

Orator sacer tantum valet, quantum ipse est propheta.

V.

Oratori sacro haec sit venia, ut orationem suam, si velit, nulli S. S. loco obstringat.

VI.

Quicunque secundum ecclesiae Reformatae Neêrlandicae statuta de Catechismo Heidelbergensi concionari debet, ne agat de S. S. locis, Catechismi illius locis convenientibus, sed ipsum Catechismum auditoribus explicet.

VII.

Quicunque confiteatur et vita sua credere se ostendat Deum esse omnium hominum suumque patrem; Jesum esse Filium Dei, omnium hominum suumque servatorem; spiritum, qui per Jesum in homines intravit, spiritum esse vere sanctum, vere divinum, — ille Christianus habendus est. Quicunque haec non confiteatur, vel etiam, si ore confessus sit, vita neget, — ille Christianus non est.

VIII.

Deum hominum esse patrem adeo totius religionis Christianae est cardo, ut omne dogma, huic veritati repugnans, nec Christianum nec verum esse possit, et contra, ut Christianum et verum sit omne dogma, huic veritati conveniens.

## IX.

Alia est dogmatica Christiana, alia dogmatica Christi. Christianum esse potest quod ipsum Christum expromsisse non tradunt N. T. scriptores.

## X.

Prima in arte hermeneutica haec debet esse lex: Valeant verba quidquid valent.

## XI.

A vulgari S. S. verborum interpretatione, nisi ob luculenta argumenta, ne recedat interpres.

## XII.

Locutio γεννηθῆναι ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, Joa. III: 5, indicat puritatem et libertatem animi. Sensus verborum hic est: Nisi quis mundo et libero animo sit, regnum Dei intrare non potest. — De baptismo ne cogitat quidem Jesus.

## XIII.

Quae narrat Paulus 2 Cor. XII: 7—9[a], pertinent ad ὀπτασίαν illam, de qua loquitur comm. 2—4 et cujus sunt secunda pars.

XIV.

Loco 2 Sam. I: 19 vox צְבִי non vertenda *dorcas.*

XV.

Vox בַּר Ps. II: 12 nequaquam vindicari ]

XVI.

Loco celeberrimo Jes. IX: 5, voces אַבִּי־עַד non habent. Omnino legendum est אֲבִי־עַם.

MAY 6 1921

TYPIS HEREDUM H. VAN MUNSTER & FIL.